1.

IVS NATVRAE
IN VSVM AVDITORVM

AVCTORE

GOTTFR. ACHENWALL

CONSIL. REG. AVL. IVRIS NAT. ET GENT. ATQVE POLITIC. IN ACAD. GEORGIA AVGVSTA PROF. PVBL. ORDIN.

CVM PRAEFATIONE

IOANNIS HENRICI CHRIST. DE SELCHOW

POTENTISSIMO MAGNAE BRITANNIAE REGI AB AVLAE CONSILIIS IVRIVM P. P. O. ET ADSESSORIS FACVLT. IVRID. GOETTINGENSIS

EDITIO SEPTIMA EMENDATIOR.



GOTTINGAE

SVMTIBVS VICTORINI BOSSIGELII

CIↃIↃCCLXXIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO

TERTIAE ET RECENTIORVM EDITIONVM.

Quod ſemel atque iterum iam prodiit opuſculum hocce *iuncto Iohannis Stephano Pütteri et meo ſtudio*, illud nunc denuo, et quidem, quod titulus fert, me ſolo auctore in lucem publicam emittitur. Quaenam immutati frontiſpicii ſit ratio, paucis declarandum tibi, BENEVOLE LECTOR, exiſtimo. Scilicet quum vterque noſtrum in Academia olim Marburgenſi praelectiones in Ius Natura-

le, easque ſucceſſiuis quidem laboribus, inſtituiſſet: poſtea, vbi exoptato fato in hac bonarum litterarum alma matre Georgia Auguſta nos rurſus coniunctus videremus; eam principorum noſtrorum in hac diſciplina ſtatim deprehendimus miram concordiam atque harmoniam, vt conſociata induſtria et in commune collatis laboribus communem Iuris Vniuerſalis epitomem typis euulgare non dubitaremus, hac quidem ratione, vt caput de Iure Ciuitatis in genere et de Iure Vniuerſali Publico in ſpecie a Püttero meo, reliquum mea opella exaratum fuerit. Atque tunc pari modo et acroaſes Iuris Philoſophici ita inter nos diſpertiuimus, vt ipſe interpretandis, quae ad Ius Ciuitatis et Publicum vniuerſale pertinent, vacaret; cetera mihi explicanda incumberent.

At vero quum poſtmodum amicus, aliis occupationibus diſtrictus, ab vlteriori harum litterarum cultura auocaretur: tam explicandi compendii huius totius, quam nouae etiam eiusdem non quidem editionis ſed potius elaborationis, quam et ipſe

ipſe quod ad Ius Ciuitatis Publicum animo conceperat, cura omnis in me ſolum eſt deuoluta. Quemadmodum igitur ex hoc tempore docendo atque exponendo continuam in hoc ſtudium contuli operam; nec auditoribus meis illuſtriſſimis, generoſiſſimis, nobiliſſimis ingratam, nec mihi ipſi ad exactiorem harum rerum intelligentiam comparandam inutilem, immo potius quam maxime fructuoſam: ſic etiam in perſcribendis his nouis Iurisprudentiae Philoſophicae elementis ita ſum verſatus, vt cuncta denuo perquiſiuerim excuſſerimque, ac omnem impenderim diligentiam in emendandis iis, quae vel in definiendo perſpicuitatem, vel in ratiocinando firmitudinem, vel in diſtinguendo rectitudinem, vel in ordinando diſpoſitionem meliorem deſiderare videbantur. Tametſi vero in hac editione reperiantur multa, quae in editionibus anterioribus vel neutiquam dicta vel certe aliter expreſſa deprehenduntur: attamen limitis Iuris Naturalis, quibus intra modum officiorum perfectorum et externorum atque τȣ *Suum cuique* continetur, perſtitere immoti, quippe quos dilatari

non poſſe, niſi inextricabili confuſione Ethicam Iuri Philoſophico, ſumma imis miſcere malis; non tam auctoritate GVNDLINGII, TREVERI, GEBAVERI noſtri et, qui primo loco plus quam vna ex ratione nominandi erant, COCCEIORVM, at quantorum virorum! perſuadeor, quam ipſa rei veritate magis indies firmiusque conuincor. Sed quamquam hoc pacto longe alienus ſum a ſententia eorum, qui vel ex perfectione ſui, vel ex voluntate diuina, quatenus rationis lumine cognoſci poteſt, Ius Naturale deducendum exiſtimant: tamen tantum abeſt, vt haec principia eliminanda ex hoc ſtudio contendam; vt potius iis ſubmodis ipſum Iuris Vniuerſalis fundamentum euerti confidenter adſeuerare audeam. Scilicet haec ſibi, vt alia, ſuo optimo iure locum vindicant inter principia Iuris Naturalis ſuperiora; ſed quum latius pateant, atque ad hanc noſtram aeque ac ad alias Philoſophiae Practicae diſciplinas pertineant, ex his elicienda ſunt ſpecialiora, noſtrae doctrinae propria et, quod aiunt, adaequata. Quamobrem vlterius deſcendendum eſt ad ſui conſeruationem, ad

ſuum

Digitized by Google

ſuum cuique, *neminem laede*, et quae his aequipollent, iisque rite ſtabilitis tum demum ex deductis inde concluſionibus enaſcitur diſciplina, quae ſicut ſeparatis vndiquaque limitibus non tantum a conſiliis prudentiae, ſed quoque ab Ethices praeceptis perfecte diſtinguitur: ita etiam peculiari Iuris Naturalis nomine inſigniri mereatur. D. d. XI. m. April. a C. R. cIↄ Iↄ CCLV.

In haec verba tertiae editioni praefatus ſum. Quod vero ad *quartam*, *quintam* et hanc *ſextam*, quam nunc tibi trado, BENEVOLE LECTOR, *editionem* attinet, equidem nec hanc, quae ſemel iterumque mihi oblata eſt, duxi praetermittendam eſſe occaſionem, quin ad emendandum libellum perficiendumque tantum operae conferrem, quantum per reliquas occupationes liceret. Curam itaque in reuidendis omnibus reſumſi; immutaui quaedam, deleui nonnulla, adſcripſi alia; viſum etiam eſt, praecipuis argumentis adiicere ſcriptores, ſelectiores quosdam dumtaxat, vt fert ratio inſtituti. Praeterea vero operam haud ſane inutilem a

me

me collocatum in eo eſſe arbitror, quod qua via eundum, vt *ſuum cuique*, vetus principium, recte intelligatur, riteque ſtabiliatur et applicetur, noua, quantum norim, ratione fuerit oſtenſum: cuius argumenti explicatio quidem e prolegomenis noſtris anno cIↃ IↃ CCLIII. primum editis excerpta, vſus vero per omnem Iuris Naturalis tractationem nunc diffunditur.

Digitized by Google

PRAEFATIONES
PRIORVM EDITIONEM
QVAE IVNCTO CONSVLTISS. PÜTTERI MEOQVE STVDIO PRODIERVNT.

* * *

PRAEFATIO PRIMAE EDITIONIS.

Pauciſſima ſunt, quae te, Beneuole Lector, prius quam pagellas haſce ipſas inſpicias, monendum exiſtimamus. Nouum Iuris Naturalis compendium prodire in lucem audet. An in tanto huius generis ſcriptorum numero vbiuis exſtante, vt nouum conficere non inuerecundum videatur, excuſationibus impetrandum eſt? Non veniam flagitamus: iure conſuetudinario ſatis tuti. Adſuefacti iam diu ad haec noua philoſophica, ex Academiis tamquam ex equo Troiano proſilientia, Germanorum animi. Nouas veritates te ſperare in hoc libello vix arbitramur; et ſi tam benignus accedas ad illum perlegendum, vt quasdam hic inueniri poſſe credideris: ſcias, nihil facile noſtro dici aeuo, quod dictum prius non fuerit; in compendiis fere nec deſiderari. Errores tamen vt euitaremus, operam, quantum licuit,

iunximus in delineandis, ponderandis, digerendis theſibus hisce. Neque tamen hoc pacto nos non erraſſe arroganter opinamur, ſed minus tantum errare voluiſſe mens fuit. Atque hoc forſitan vnicum eſt, quod deprehenderis nouum et minus exſpectatum in hoc opuſculo conficiendo, conſociatum duorum amicorum coaeuorum ſtudium. Adeo rarum his maxime temporibus eſt, in ſcientiis philoſophicis, potiſſimum Iure Naturali, reperire plures, quam doctorem et auditorem, conſentientes. Tuum nunc eſt, de conatibus noſtris iudicare. Iudica, vale, faue. Scribebamus d. 9 m. April. a. C. N. MDCCL.

PRAEFATIO SECVNDAE EDITIONIS.

Offertur tibi, BENEVOLE LECTOR, opuſculum non ſolummodo recuſum, ſed reuiſum etiam. Mutata in hac editione reperies varia; quaedam magis determinata, alia dilatata, alia coarctata, addita quaedam, quaedam eiecta. Vt quidque aptius ordinari, magis perſpicue proponi, firmius demonſtrari poſſe iudicauimus; ita, quo translocando, erplicando, corroborando qui eque emendaretur, operam nauadimus. Scr. d. 30. m. Sept. a. C. N. MDCCLII.

Digitized by Google

IVRIS NATVRALIS
PARS PRIOR
CONTINENS
INTRODVCTIONEM
IN
IVS NATVRALE IN GENERE
ET
IVS MERE NATVRALE
SEV
IVS NATVRALE SINGVLORVM
IN STATV EXTRASOCIALI.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONSPECTVS
PARTIS PRIORIS
IVRIS NATVRALIS.

I. *Introductio* in Ius Naturale, qua traduntur huius diſciplinae

1. vſus §. 2. ſequ.
2. fontes et ſubſidia 5.
3. principia generaliora, quatenus inuoluit
   - a. generatim leges ſ. obligationem, *tit.* I. 7.
   - b. ſpeciatim leges naturales, *tit.* II. 20.
   - c. ſpecialius leges naturales
     - α. perfectas, *tit.* III. 34.
     - β. externas, *tit.* IV. 49.
4. diuiſio, ex ſtatu hominum naturali vel ſociali, in Ius Naturale ſtrictiſſime dictum et Ius Sociale vniuerſale §. 60.

5. hiſt.

5. hiſtoria litteraria, tamquam additamentum introductionis pag. 39.

II. *Tractatio* ipſa ſingularum Iuris Naturalis partium.

LIBER I.

Ius Naturale ſtrictiſſime dictum.

Status naturalis, qui concipitur ſine facto iuridico, eſt abſolutus; qui ex facto iuridico, hypotheticus; ex facto iuſto, hypotheticus ſtricte; ex facto iniuſto, ſtatus laeſionis, qui euadit ſtatus belli. Vnde *Ius Nat.* triplex naſcitur: *Abſolutum*, *Hypotheticum*, *Belli* §. 61. 62.

Sect. I. Ius Natur. Abſolutum §. 63.

tradit ſingulorum iura atque obligationes circa

1. ſe ipſos *tit.* I. §. 64.
2. libertatem *tit.* II. 69.
3. aequalitatem *tit.* III. 80.
4. declarationem mentis *tit.* IV. 87.
5. exiſtimationem *tit.* V. 96.
6. res vacuas *tit.* VI. 106.

Sect.

Sect. II. Ius Natur. Hypotheticum, §. 109.

Quidquid adquiritur, eſt res vel nullius, vel acceſſorium rei ſuae, vel alienum. Vnde triplex oritur adquirendi modus: Occupatio, Acceſſio, Pactum.

I. de Occupatione, cuius conſideratur

1. natura et quidem

A. occupatio verae *tit.* I. 110.

B. occupationis putatiuae *tit.* II. 125.

2. effectus

A. in genere dominium *tit.* III. 136.

B. in ſpecie

II. de Acceſſio,

a. ius utendi fruendi re ſua, hinc *ius acceſſionis tit.* IV. 146.

b. ius diſponendi de re ſua *tit.* V. 156.

III. de Pacto, cuius traduntur

1. requiſita *tit.* VI. 165.

2. effectus *tit.* VII, 182.

3. ſpecies, pacta benefica et oneroſa,

A. in genere,

a. praeſtruunt cognitionem pretii et pecuniae *tit.* VIII. 198.

b.

Digitized by Google

b. explicantur vſitatiora *tit.* IX. 208.
c. cum eorum acceſſoriis
α. cautionibus *tit.* X. 224.
β, iuramento *tit.* XI. 230.
B. In ſpecie, quae ſanciuntur mortis cauſſa, vno verbo ſucceſſio pactitia *tit.* XII. 236. Succeſſio fit
a. citra diſpoſitionem defuncti, et eſt ſpecies occupationis §. 337.
b. ex eius diſpoſitione
α. pactitia 238.
β. teſtamentaria, quae in Iure Natur. exulat 239.
ſpurius adquirendi modus eſt praeſcriptio §. 241.
4. Modi, quibus ius ac obligatio pactitia tolluntur *tit.* XIII. 242.
Sect. III. Ius Naturale Belli §. 258.
agit de modis
1. ius ſuum violatum perſequendi *tit.* I. 259.
2. lites finiendi *tit.* II. 286.

INTRO-

Digitized by Google

INTRODVCTIO

IN

IVS NATVRALE.

PRAECOGNITA.

§. 1.

Ivs natvrale (*ſtricte* dictum, Cogens, Externum) eſt ſcientia legum naturalium externarum, ſeu eſt ſcientia iurium atque obligationum naturalium perfectarum, quatenus conſiderantur tamquam externae; et complectitur tamquam partes praecipuas tum *Ius mere Naturale*, tum *Ius Familiae*, *Ius Publicum* et *Ius Gentium*, quatenus haec concipiuntur vt *Iura Vniuerſalia*.

A §. 2.

Digitized by Google

§. 2.

Vſus Iuris Naturalis, ſi illud *per ſe* conſideratur, in eo conſiſtit, vt applicando eius principia ad actiones humanas intelligere poſſimus, quae actiones Iuri Naturali ſint contrariae, quae conformes, hoc eſt vt faciat ad diiudicandum iuſtum atque iniuſtum, atque hinc ad lites decidendas. Et hic quidem vſus Iuri Naturali cum reliquis Iurium ſpeciebus eſt communis: qui vero noſtro Iuri eſt proprius, eo potiſſimum redit, vt vtile ſit 1) *principaliter* ad diiudicandas actiones (quoad earum iuſtitiam et iniuſtitiam) et decidendas controuerſias quum *Gentium* inter ſe inuicem, tum etiam *Imperantium Ciuilium* et *Populorum* ſuorum, quippe qui nullo Iure Humano adſtricti reguntur Iure Naturali; 2) *ſubſidiarie* vero ad diiudicandas actiones et terminandas lites etiam illorum omnium, qui certo Iuri Humano ſubſunt, eo nimirum caſu, vbi hoc Ius Humanum plane deficit, quippe tum, ſi opus fuerit, ad Ius Naturale eſt recurrendum.

§. 3

Vſus Iuris Naturalis *reſpectu aliarum diſciplinarum* praeprimis conſpicuus eſt 1) in reliquis

Philo-

Digitized by Google

Philoſophiae Practicae ſcientiis, Ethica et Politica, ſororio vinculo cum Iure Naturali coniunctis, 2) in Iure Conſuetudinario Ciuitatum et Gentium Europaearum, 3) in omnibus Iuribus Poſitiuis tam Publicis quam Priuatis, tam Humanis quam Diuino illo, quod in Theologia Chriſtiana Morali explicatur.

§. 4.

Hinc ſi *reſpectu perſonarum* vſum Iuris Naturalis conſideras, praeterquam quod ſtudium hocce ad omnes eruditos, philoſophos certe, pertinet, eius cognitio praecipue vtilis et neceſſaria eſt iis, qui in legibus quibuscumque poſitiuis interpretandis, applicandis, ferendis; qui in iuribus Gentis, Imperantis Ciuilis aut Populi adminiſtrandis vel perſequendis occupantur; ideoque futuris Theologis, Politicis, Iurisconſultis, omnibusque qui ad officia publica, ad negotia publica domeſtica et extranea belli pacisque gerenda adſpirant. Germanis vero huius ſcientiae cultura praeprimis commendabilis, quoniam in imperio Romano Germanico, ex tot Rebuspublicis, hinc Imperantibus Ciuilibus, Populis, Gentibus com-

Digitized by Google

poſito, vſus eius practicus eſt longe frequentiſſimus.

§. 5

Ad exſtruendum Iuris Naturalis ſyſtema, vſibus et finibus hisce apte accommodatum, requiruntur in auctore et doctore huius ſcientiae tum 1) cognitio ſolida Philoſophiae vniuerſae, praecipue earum illius diſciplinarum, quibus principia noſtrae ſcientiae ſuperiora continentur; quippe ex Philoſophia non tantum limites huius diſciplinae intelliguntur, et methodus ſyſtematica, ſed ipſum etiam eiusdem fundamentum repetendum eſt, cui totum Ius Naturale ſuperſtruitur: tum vero etiam notitia 2) Iurium Poſitiuorum, non tantum priuatorum, ſed praecipue etiam Publicorum, 3) Hiſtoriae Ciuilis, et 4) denique ipſorum Iuris Naturalis ſyſtematum diuerſorum, meliorum praeſertim, quae hactenus prodierunt, atque Hiſtoriae huius diſciplinae Litterariae; quippe harum diſciplinarum intelligentia materiam et ſubſidia Iuri Naturali ſuggerit, ac ad meditationes vlteriores atque ad principia foecundiora viam parat redditque faciliorem.

§. 6.

Digitized by Google

§. 6.

Quoniam igitur fundamenta Iuris Naturalis in aliis diſciplinis philoſophicis ſita reperiuntur, earumque principia ſuperiora, noſtro inſtituto inſeruientia, hoc loco tamquam cognita ſupponuntur, immo pro temporis praefixi ratione debent ſupponi, eademque vero vna cum iis, quae Ius Naturale generatim concernunt, fuſius in *Prolegomenis* ſeparatim editis, inueſtigata a nobis et pertractata ſunt: vt breuiori ſchemate comprehendamus, quae, antequam ſpeciales Iuris Naturalis propoſitiones explicare aggredimur, ſcitu ſunt neceſſaria; haec pauca quae inſequuntur, ex dictis Prolegomenis maximam partem excerpta, ſtrictim et per indicem quaſi commemorabimus.

Digitized by Google

TITVLVS I.

DE

NORMA ACTIONVM LIBERARVM ET OBLIGATIONE IN GENERE.

§. 7.

LEX *generatim*, qualis nempe in omni Philoſophia Practica concipitur, eſt propoſitio obligationem enuncians; OBLIGATIO autem) paſſiua) eſt neceſſitas agendi moralis (neceſſitas moralis latius dicta), hoc eſt neceſſitas determinandi actionem liberam, quae ex fine quodam rationali profluit §. 12. et 13. Proleg. Iur. Natur. Eſt vero 1) ACTIO LIBERA, quae a libertate mentis dependet, LIBERTAS autem MENTIS HVMANAE (liberum arbitrium hominis) conſiſtit in eius qua entis intellectu praediti facultate, et ad agendum et ad non agendum ſe ipſum determinandi, atque inde *actio libera* producitur, vel *commiſſiua* vel *omiſſiua* §. 6. et 7. Proleg. 2) *Finis* alicuius *rationalis* continet verum bonum, quod ab eo diſtincte cognoſcitur, atque

Digitized by Google

atque ideo inuoluit *motiuum* quoddam §. 11. Prol. 3) Ea perſona, in qua talis neceſſitas ad actionem quamdam liberam determinandam ponitur, ſeu cui ipſa incumbit, *obligatur;* quae vero eamdem alicui imponit, ſeu quae nectit (conſtituit) motiuum rationale cum alicuius actione libera, *obligat* §. 12. *not.* Pr. Lex igitur eſt propoſitio (norma, regula actionum liberarum), ſecundum quam aliquis actiones ſuas liberas dirigere obligatur §. 13. Prol.

§. 8.

De obligatione et lege in genere notandum: 1) ad phyſice impoſſibilia, phyſice neceſſaria et mere naturalia §. 14. Prol., vt et 2) ad ignorata §. 16. Pr. non dari obligationem, hinc eadem legi non ſubeſſe; quatenus haec omnia conſiderantur per ſe et qua talia. Ergo *vltra poſſe* (ſeu vltra id, quod eſt in poteſtate alicuius) *et vltra ſcire nemo tenetur.*

§. 9.

Porro tenendum, 3) in eum, qui caret vſu intellectus, obligationem non cadere nec legem §. 14. Pr., nec 4) denique dari obligationem

Digitized by Google

ſine vero bono (quo et euitatio mali, et euitatio mali maioris in relatione ad malum minus pertinet), quod quis ſibi tamquam finem, mediante certa actione libera obtinendum (tamquam conſectarium actionis), repraeſentare poteſt. Ergo *ſine ſpe vel metu propoſito non datur obligatio* §. 20. Pr., *nec datur niſi in actiones futuras*, ad praeteritas nimirum trahi neſcia.

§. 10.

Diuiditur OBLIGATIO in AFFIRMATIVAM, ad aliquid committendum; et NEGATIVAM, ad aliquid omittendum: atque hinc LEX in PRAECEPTIVAM et PROHIBITIVAM §. 19. Pr. De lege praeceptiua ſpeciatim tenendum: 1) *quod ſit prohibitiua contrarii* §. 19. Pr., 2) *ſupponat vires ſufficientes et occaſionem*, nempe dato caſu non obligat eum, cui deſunt *vires* ad id committendum *ſufficientes*, vel deeſt *occaſio* §. 19. Pr. 3) Quod lex praecipiens certum finem praecipiat ſimul ea, ſine quibus iſte finis obtineri nequit. Ergo *qui obligatur ad finem obligatur ad adhibendum eius remedia* et *ad remouendum impedimenta* §. 18. Prol.

Ubi finis, ibi media.

§. 11.

§. 11.

Eſtque praeterea *obligatio* et *lex* in relatione ad aliam, pro diuerſo gradu motiuorum vtriusque, alia *maior* (fortior), alia *minor* (debilior) §. 21. Pr. Vnde ſi colliduntur obligationes et leges, promanat regula exceptionis, quae ipſa tamquam lex ſpectanda, vocaturque *lex perfectiua: in colliſione* (pugna) *obligationum et legum vincit fortior, cedit ipſi debilior* §. 15. Pr.

§. 12.

Denique poſito certo legum genere *actio libera* ad illud relata euadit 1) ILLICITA vel LICITA, prouti vel alicui vel nulli earumdem eſt contraria; 2) INDIFFERENS vel OBLIGATORIA, prouti vel a nulla vel ab aliqua harum legum ad committendum vel omittendum eſt determinata; et 3) obligatoria ſpeciatim tum a) PRAECEPTA, ſi ad committendum eſt determinata, aut PROHIBITA, ſi ad omittendum; tum b) RECTA, ſi legi certi generis omnimode eſt conformis, hoc eſt in omnibus determinationibus a lege requiſitis, aut MINVS RECTA, ſi ita conformis non eſt. Actio legi certi generis conformis,

quatenus ad eam ipſi conformandum obligamur, appellatur ACTIO DEBITA §. 26. Prol.

§. 13.

Obligationis et legis effectus eſt *imputatio*, quae conſiſtit in iudicio, quo auctori facti eius meritum attribuitur. 1) FACTVM hoc loco ſignificat actionem liberam ſingularem, ideoque eſt vel *commiſſiuum* vel *omiſſiuum* (non-factum) §. 7. Prol. 2) Auctor facti vocatur etiam eius *cauſſa libera* §. 27. Pr. 3) MERITVM vero (late dictum) *facti* denotat illud bonum vel malum conſectarium, quod actioni alicuius liberae tamquam motiuum rationale annexum eſt. Meritum facti ſi bonum eſt, PRAEMIVM (meritum ſtricte); ſi malum, POENA (demeritum, poena latius ſ. ſenſu philoſophico dicta) dicitur §. 27. Prol.

§. 14.

Ergo *imputatio* datur vel *in praemium* vel *in poenam*; porro IMPVTATIO dicitur EFFICAX, ſi cum actuali collatione praemii aut illatione poenae copulata; ſin minus, INEFFICAX §. 28. Pr.

§. 15.

Digitized by Google

§. 15.

Itaque Imputatio eſt concluſio e facto et lege, atque idcirco omnis imputatio abſoluitur ratiocinio, cuius *minor praemiſſa* eſt: tu es auctor huius facti; *maior:* auctori talis facti lex adſignat hoc meritum; *concluſio:* tibi hoc meritum adſignandum eſt, ſeu tu mereris hoc praemium vel hanc poenam §. 29-33. Pr.

§. 16.

De imputatione regulae ſequentes obſeruandae: 1) *quidquid obligationi* et legi *non ſubeſt*, et hinc multo magis, *quidquid ei ſubeſſe nequit*, id *nec eſt imputabile* §. 31. 32. Pr. 2) Speciatim *in poenam imputari poteſt* omne id, cuius contrarium facere et debuit (obligatus eſt) et potuit agens. Contra vero 3) in poenam imputari *nequit niſi id, cuius contrarium facere* et *debuit* et *potuit agens* §. 35. Pr. 4) *Nec niſi* ea *imputari poteſt* obligationis violatio et legis transgreſſio ſeu *id factum minus rectum*, quae et *quod continet defectum rectitudinis vincibilem* §. 34. Pr.

§. 17.

§. 17.

Defectus rectitudinis facti, quatenus eſt imputabilis in poenam, REATVS (culpa latius dicta) vocatur §. 35. Pr.: eſtque vel DOLVS, qui cum animo violandi legem coniunctus, ſeu cuius agens in agendo ſibi eſt conſcius; vel CVLPA (ſtrictius dicta), cuius ita conſcius non eſt. Hinc *factum*, quod a rectitudine deficit, vel *culpabile* eſt vel *inculpabile*, culpabile vero vel *doloſum* vel *culpoſum* eſt §. 34. 35. Pr. *Factum doloſum* maiori gradu eſt imputabile quam *culpoſum*, quoniam illud a ſciente et volente perpetratum, iſtud haud aeque; manet tamen et hoc imputationi obnoxium, quia ad culpam tuam ſufficit, id ignorare vel ad id non attendere, quod noſſe atque ad quod attendere et potueras et debueras §. 36. Pr. et §. 16. hui. introd.

§. 18.

Vnde conficitur, dari facta per ſe non libera, hinc per ſe non imputabilia, quae tamen, quum per indirectum ſeu per conſequentiam pertineant ad libera, etiam omnino habent imputatiuitatem §. 39. Pr.

§. 19.

Digitized by Google

§. 19.

Duplex itaque omnis legis eſt vis ſeu *virtus*, 1) *obligandi*, 2) *imputandi* §. 42. Prol.

TITVLVS II.

DE

LEGIBVS NATVRALIBVS.

§. 20.

Lex et obligatio naturalis eſt ſpecies legum et obligationum moralium. Dicitur autem obligatio hominis ad agendum conformiter voluntati diuinae OBLIGATIO MORALIS (conſcientiae) §. 43. Pr.

§. 21.

Hinc LEX MORALIS (diuina) eſt ea, ſecundum quam dirigere actiones noſtras vi voluntatis diuinae obligamur, ideoque eſt ea norma actionum liberarum, ad quam ſeruandam Deus nos obligat, ſeu ad cuius obſeruantiam Deo obligamur §. 43. Pr.

§. 22.

Digitized by Google

§. 22.

Quidquid igitur poſitis legibus diuinis, vt agatur, eſt *impoſſibile, poſſibile, neceſſarium*; *quidquid, ad easdem relatum, reperitur illicitum, licitum, indifferens, obligatorium, praeceptum, prohibitum, debitum, rectum, minus rectum, imputabile, culpabile, inculpabile, culpoſum, doloſum*; MORALITER (ſtricte confer §. 7. et nobis ſimpliciter) tale eſt §. 44. Pr.

§. 23.

Facultas hominis phyſica, quatenus nulli legi morali aduerſatur, eſt FACVLTAS MORALIS et vno verbo IVS (morale) late et ſubiectiue ſiue pro affectione perſonae ſumtum §. 44. Pr. Actio libera, quae moraliter indifferens non eſt, dicitur ACTIO MORALIS; actio moraliter debita OFFICIVM MORALE; actio reatum moralem continens MORALITER MALA (peccatum); actio contra moraliter recta MORALITER BONA §. 47. Pr.

§. 24.

De obligatione morali ſequentes regulae notandae: 1) *ad quodcumque quis moraliter obliga-*

ligatur, ad idem ipſi competit ius ſeu facultas moralis, 2) *qui moraliter obligatur ad finem, ei ius eſt in ea, ſine quibus finis iſte obtineri nequit*, conſequenter in vſum remediorum et impedimentorum remotionem, quatenus haec per ſe ſpectantur §. 45. Pr.

§. 25.

Obligatio moralis et lex moralis, quam homo ex principiis philoſophicis cognoſcere poteſt, vocatur OBLIGATIO NATVRALIS, LEX NATVRALIS. Ergo eſt ea obligatio moralis ſ. ea lex diuina, quam ſine ſpeciali Dei reuelatione, quam ex eſſentia et natura noſtra, Dei aliarumque rerum, quam ſola ratione perſpicere poſſumus §. 49. 50. Pr.

§. 26.

Scientia legum naturalium appellatur IVS NATVRALE (naturae) *latius* et *obiectiue* ſumtum; atque hoc ſignificatu Iuris Naturalis ſynonimum eſt *Philoſophia moralis* §. 51. Pr. Denotat tamen Ius Naturae pro ſubſtrata materia etiam ipſas leges et obligationes naturales in complexu ſumtas.

§. 27.

Digitized by Google

§. 27.

Exiſtit obligatio quaedam et *lex naturalis*, quoniam 1) exiſtit Deus, Creator et Conſeruator noſter, Ens Sapientiſſimum, Sanctiſſimum, Benigniſſimum, Omniſcium Omnipotensque; et quoniam 2) in pluribus noſtris actionibus liberis voluntatem diuinam circa earundem directionem tum ex eſſentia atque attributis diuinis, qua principiis philoſophicis, tum etiam ex operibus Eiusdem, hoc eſt e natura noſtra aliarumque rerum, quae rationi noſtrae patent, hinc ex finibus diuinis per creationem manifeſtatis, ſufficienter cognoſcere poſſumus. Quatenus ex hac obligatione et lege generali deduci ratiocinando poſſunt plures aliae, eatenus *exiſtit* (valet) *Ius Naturale* §. 52. 53. Pr.

§. 28.

Hinc *Principium cognoſcendi vniuerſale Iuris Naturalis*, tamquam propoſitio et *lex naturae generaliſſima* conceptum, eſt: *voluntati diuinae age conformiter, quantum potes, in omnibus actionibus, in quibus eamdem ſola ratione cognoſcere potes* §. 58. 60. Pr.

§. 29.

§. 29.

Ergo viue convenienter perfectionibus et finibus diuinis; illuſtra gloriam diuinam, quaere optimum generis humani, optimum tibi, felicitatem tuam aliorumque; ne agito, quae conſeruationi alterius hominis contrariantur; perfice te, conſerua te.

§. 30.

Principium vero *cognoſcendi Iuris Naturalis*, ſi cogitatur qua *fons cognitionis*, eſt ipſa rerum eſſentia atque natura, quatenus ſine ſpeciali Dei reuelatione rationi noſtrae patent §. 59. et 64. Pr., atque exinde ad cognitionem eorum, quae Deus a nobis fieri vel non fieri vult, peruenire poſſumus.

§. 31.

Leges diuinae generatim vi poenarum, cum earum violatione culpabili, atque ſimul vi praemiorum, cum earum cuſtodia copulatorum, obligant §. 55. Pr.: quumque illae poenae iſtaque praemia diuinis attributis non poſſint non eſſe conſentanea; perſpicuum eſt, vtraque in comparatione cum poenis vel praemiis, aliunde ex op-

 poſitis

Digitized by Google

poſitis actionibus metuendis vel ſperandis, eſſe debere maiora, hinc maxima vtraque §. 56., vnde *vis legum diuinarum imputandi*, conſequenter *et vis obligandi* eſt fortiſſima §. 74. Pr. Ergo *in pugna legis diuinae cum alia quacumque illa vincit*, et *omnis reliqua* obligatio atque *lex* hanc *habet exceptionem eſſentialem* (tacitam): *niſi obſtet obligatio et lex moralis* §. 57. Pr. Itaque *vltra poſſe*, *phyſice et moraliter*, *ſimpliciter obligatur nemo*, ſeu *nemo obligatur*, *ſi obſtiterit ipſi impedimentum phyſicum vel morale.* Haec applicari poſſunt ad Ius Naturale, quatenus continet leges diuinas, et ei opponuntur aliae leges quaecumque, quae non ſunt diuinae.

§. 32.

Iam quid poſitis legibus naturalibus ſeu in ſphaera Iuris Naturalis dicatur MORALITER *impoſſibile*, *poſſibile*, *neceſſarium*, *bonum*, *malum*; quid *facultas moralis*; quid dicatur NATVRALITER *illicitum*, *licitum*, *indifferens*, *obligatorium*, *praeceptum*, *prohibitum*, *debitum*, *rectum*, *minus rectum*, *imputabile* cet.; porro quid vocetur *ius* (ſubiectiue et late ſumtum), *pecca-*

catum, *officium* NATVRALE, *virtus* NATVRALIS §. 47. Pr.: nullo negotio intelligitur.

§. 33.

Quoniam naturaliter obligamur ad agendum moraliter bene, *quantum* poſſumus; 1) *obligamur ad virtutem naturalem*, 2) *in comparatione duarum vel plurium actionum per ſe debitarum, quae ſimul fieri nequeunt, ad eam illarum obligamur, quae moraliter eſt melior.* Ex poſteriori conſequitur, non dari veram colliſionem duorum officiorum naturalium, quamuis collidantur interdum duae actiones, quarum quaelibet per ſe ſpectata eſt officium. Hinc 3) concipitur lex exceptionis: *in colliſione* (apparenti) *officiorum naturalium vincit id, cuius obſeruantia voluntati diuinae conuenientius agitur*, tamquam officium maius. Ideoque omnes leges naturales ſpeciales hanc habent exceptionem tacitam: *niſi obſtiterit lex naturalis fortior* §. 77. 78. 81. Pr. 4) Si talis igitur lex dato caſu obſtiterit; adeſt impedimentum morale impoſſibilitas moralis ſeruandi legem naturalem debiliorem, atque ita *vltra poſſe* tam *phyſice* quam *moraliter*, *nemo moraliter* obligatur §. 45. Prol.

Digitized by Google

TITVLVS III.

DE

LEGIBVS PERFECTIS.

§. 34.

Obligatio naturalis, quae, ſi violatur, connexam habet facultatem moralem alterius hominis, cogendi violatorem, dicitur OBLIGATIO PERFECTA. COGERE alterum (ſtricte conſ. §. 57.) eſt corpus eius inuadere, et haec coactio dicitur etiam extorſio, violentia, vis externa, vis ſimpliciter. Itaque obligatio naturalis ad id, quod extorqueri ſeu vi exigi ab alio moraliter poteſt, et ea, ad quam adimplendam homo hominem vel adhibita violentia compellere moraliter poteſt, eſt perfecta: IMPERFECTA, vero quae cum tali alterius iure naturali violentiae coniuncta non eſt, ſeu quae extorqueri moraliter nequit §. 98. Pr.

§. 35.

Hinc prouti lex naturalis vel perfectam, vel imperfectam dumtaxat continet obligationem, ipſa

PER-

PERFECTA (cogens, ſtricte dicta) vel IMPERFECTA (noncogens) LEX appellatur. Vnde et diuiſio *officiorum naturalium* in *perfecta* et *imperfecta* intelligitur §. 106. Pr. Complexio et ſcientia legum naturalium perfectarum eſt IVS NATVRALE (obiectiue ſumtum) *ſtricte* dictum (cogens) §. 99. Pr.

§. 36.

Ea facultas moralis, quae poſita obligatione alterius perfecta ponitur, hoc eſt ius naturale extorquendi aliquid alteri, ſeu vi exigendi ab altero, vocatur IVS NATVRALE STRICTVM (ius perfectum) *ſubiectiue* ſumtum §. 100. Pr. Vnde patet, 1) *omni obligationi meae perfectae reſpondere in altero ius naturale ſtrictum*, et contra ea *omni iuri meo perfecto reſpondere obligationem perfectam in altero, quoad fieri poteſt*, ſeu quatenus non obſtat impedimentum phyſicum vel morale §. 31. et 34., ergo quatenus in dato caſu alter obligationis eſt capax §. 89. Prol., nec ipſi obſtet obligatio fortior §. 34. 2) Ius Naturale cogens cogitari poſſe tamquam ſcientiam iurium atque obligationum perfectarum §. 101. Prol.

Digitized by Google

§. 37.

Quoniam naturaliter obligor ad corpus vitamque meam conſeruandam; mihi competit ius naturale, qua facultas moralis §. 22. impedimenta conſeruationis mei remouendi, ideoque, ſi tu ſuſcipias actionem conſeruationi mei repugnantem, et ſi aliud remedium lenius non ſufficiat, ius naturale te cogendi, ne hoc agas §. 102. Pr. Quoniam tu vero naturaliter obligaris ad ea non agenda, quae conſeruationi mei aduerſantur §. 29, atque, ſi hanc tuam obligationem reſpectu mei violes, mihi ius te cogendi naturaliter competit: ſequitur, vt haec tua obligatio naturalis ſit perfecta, et hoc ius naturaliter mihi competens ſit ius naturale ſtrictum §. 103. Pr.

§. 38.

Ergo *datur* ius aliquod naturale ſtrictum, ſcilicet *ius perfectum cuilibet competens in ſui conſeruationem: datur obligatio naturalis perfecta cuilibet incumbens ad ea non agenda, quae cum conſeruatione alterius pugnant.* Eatenus exiſtit (valet) lex naturalis tamquam lex perfecta: *Ne agito, quae conſeruationi alterius aduerſantur.* §. 29.

Digitized by Google

§. 29. et 37., *quoad eius fieri poteſt* §. 31, ſeu quod idem eſt: *Quilibet ad ea non agenda, quae conſeruationi alterius repugnant, perfecte obligatur, quantum poteſt.* Et hinc exiſtit Ius Naturale Cogens, poſita quippe hac lege perfecta (hoc iure cuiuslibet naturali ſtricto et hac obligatione cuiusuis naturali perfecta) cum iis, quae inde deriuantur, ponendum.

§. 39.

Quum porro omnia officia moralia et naturalia vel ad officia erga Deum, vel erga nosmetipſos vel erga alios pertineant §. 62. Pr.; et officium naturale perfectum, ad non impediendam conſeruationem alterius, ſit ſpecies officiorum naturalium erga alios; cetera vero coordinata officia ad vnum omnia extorqueri moraliter nequeant, immo quilibet naturaliter et perfecte obligetur, ad haec officia nemini extorquenda; hinc cuncta referenda ad officia imperfecta, vnde et *officia perfecta* dicuntur *neceſſitatis*, officia reliqua erga alios charitatis (quibusdam humanitatis) §. 106. et 107. Pr.: perſpicuum eſt, *omnia officia perfecta neceſſario deriuari e lege de aliorum conſer-*

 uatio-

uatione non impedienda, ideoque *hanc legem eſſe principium* (cognoſcendi complexum) *Iuris Naturalis Cogentis vniuerſale* ſeu *generale.*

Ex hac ratione lex naturalis: *ne agito, quae conſeruationi alterius aduerſantur*, appellari poteſt legum perfectarum principium domeſticum, primum, adaequatum, et earum quaſi focus et centrum.

§. 40.

Hinc iam facile eſt conceptu, quid in ſphaera Iuris Naturalis Cogentis, ſeu poſitis legibus perfectis, dicatur *moraliter impoſſibile, poſſibile, neceſſarium*; quid *facultas moralis* et *impedimentum morale*; quid Iure Stricto vocetur NATVRALITER *illicitum, licitum, indifferens, obligatorium, praeceptum, prohibitum, debitum, rectum, minus rectum, imputabile*; quid Iure Naturali Stricto ſit *reatus, culpa, dolus*; quid *factum inculpabile, culpabile, doloſum, culpoſum* §. 32. Scilicet in hac ſphaera hi termini omnes cogitantur, quatenus *vi legis perfectae* tales ſunt.

§. 41.

Digitized by Google

§. 41.

Ex iure perfecto in mei conſeruationem deducitur 1) IVS SECVRITATIS, ius perfectum non patiendi, vt alter agat, quod conſeruationi mei aduerſatur, 2) IVS DEFENSIONIS, ius perfectum reſiſtendi ei, qui conatur agere contra mei conſeruationem, 3) IVS PVNIENDI quoddam (poena latius d. §. 13. afficiendi), ius perfectum mala infligendi ei, qui facti contra mei conſeruationem admiſſi reus eſt ad praecauenda facta ſimilia §. 109. Prol.

§. 42.

Ius Naturale Cogens, tamquam ſpecies Iuris Naturalis §. 35. *poenis diuinis* eſt armatum, praeterea vero *etiam metu coactionis ab* eo *homine*, cuius violatur ius perfectum, inferendae *munitum*. Quoad prius Ius Naturale Cogens et reliqua Philoſophia Moralis conſpirant, quoad poſterius differunt; quippe diuinae poenae peccatum omne ſubeſt, coactioni humanae vero illud dumtaxat, quod officio neceſſitatis repugnat §. 110. Pr.

Digitized by Google

§. 43.

Quum quisque hominum ad cuiusque felicitatem, quantum poteſt, promouendam, hinc omnes vnitis viribus ad communem felicitatem mutuo perſequendam naturaliter obligentur; atque inde efficiatur *ſocietas* quaedam hominum *naturalis* et *vniuerſalis*; hincque omnia officia naturalia erga alios, conſequenter et ea, quae ſunt neceſſitatis, tamquam ſocialia (ſocialitatis) cogitari poſſint §. 82-86. Pr.: clarum eſt, *obligationes et leges perfectas*, quarum obiecta ſunt officia neceſſitatis, *conſiderari poſſe* tamquam *obligationes* et *leges ſociales*, quippe intelligibiles ex ea, quae inter omnes homines a Diuino Numine naturaliter conſtituta eſt, ſocietate.

§. 44.

Denique quum ad voluntatem diuinam actiones ſuas omnes, quantum quisque poteſt, componere naturaliter teneatur; adeoque omnes homines ſint *ſubditi* Dei, hinc Deus totius generis humani *ſuperior* (quod et ex notione Societatis Vniuerſalis, tamquam Ciuitatis Maximae, cuius Deus eſt Imperans Summus, confirmatur, vti

in

Digitized by Google

in ſubſequentibus e principiis Iuris Socialis luculentius intelligi poterit): conſequitur, vt leges naturales omnes, immo generalius morales, ſpecialius vero etiam perfectae ſint *leges ſenſu iuridico* tales (iuridicae, ſuperioris), hoc eſt a ſuperiore latae et ſub comminatione poenae (quae omnes indubitanter manet peccatores §. 52. 54. Pr.) ab ipſo conſtitutae ſubditos obligantes: Numenque adeo Diuinum ſit omnis Iuris Naturalis *Legislator*, hoc eſt ſuperior legum iuridicarum auctor §. 63. Pr.

§. 45.

Ex his deducitur, 1) *Iuri Naturali* omni, hinc etiam Cogenti, *recte tribui* nomen *Iuris*, quippe quod proprie conſiſtit in ſcientia vel etiam in complexione legum iuridicarum ſimilium (eiusdem generis); 2) *officiis naturalibus* omnibus, hinc etiam officiis neceſſitatis, competere nomen *officiorum*, actionum lege iuridica debitarum; 3) *obligationem naturalem* omnem eſſe *obligationem iuris* ſeu ſignificatu iuridico talem, 4) *poenas Iuris Naturalis* eſſe *poenas ſtricte dictas*, mala ſcilicet quae a ſuperiore infliguntur ſubdi-

Digitized by Google

ſubditis ſuis facti contra legem ſuam admiſſi reis §. 63. et 65. Prol.

§. 46.

Actio a ſuperiore praecepta vel prohibita vocatur reſpectu eiusdem ACTIO IVSSA, quae vero nec praecepta nec prohibita eſt, PERMISSA. Hinc ſi lex ſuperioris determinat actionem quamdam non quidem praeceptam, nec tamen impediendam eſſe, vocatur reſpectu eius, cui facultatem concedit, aliquid licite agendi, LEX PERMITTENS (permiſſiua), reſpectu contra illius, cui obligationem imponit, alterum non impediendi, LEX IVBENS §. 63. et 90. Pr. Quum itaque Ius Naturale, Cogens etiam, conſiſtat in legibus iuridicis; clarum eſt, *concipi poſſe in Iure Naturali*, etiam *Cogente*, *leges non tantum iubentes*, *ſed etiam permittentes.*

§. 47.

Et quoniam omnes leges morales ſunt leges diuinae atque leges iuridicae §. 54. et 52. Pr. et §. 44. h. Intr.; nunc pateſcit quoque, *Ius* 1) pro diuerſitate legislatoris eſſe vel *Diuinum* vel *Huma-*

Digitized by Google

Humanum §. 63. Pr.; 2) pro differentia vero fontis cognitionis vel *Naturale* vel *Poſitiuum* §. 65. Pr.; hinc 3) *Ius Diuinum* eſſe vel *Naturale*, quod etiam *Ius Philoſophicum* §. 63. Pr. et *Ius Rationis* appellari poteſt §. 64. Pr.; vel *Poſitiuum*, quod etiam *Ius Reuelationis* et *Ius Fidei* vocari poteſt §. 64. Pr.; contra vero 4) *Ius Humanum omne eſſe Ius Poſitiuum.* Quae quidem diuiſiones etiam ad terminos connexos, puta *leges*, *officia*, *obligationem* cet. eſſe applicabiles, haud difficulter perſpiciuntur.

§. 48.

Quumque obligatio naturalis generatim ſpectata, poſito Deo poſitaque hac hominis aliarumque rerum eſſentia et natura, ponatur; ideoque eadem, comparata cum obligatione, quae legibus humanis efficitur, ita arbitraria, particularis, mutabilis et temporaria eſſe nequeat, ac quidem iſtam eſſe experimur: hinc ſano quodam ſenſu *obligationi naturali* atque *legi primae naturali*, etiam *perfectae*, *tribui poteſt*, atque inde vniuerſo Iuri Naturali, Cogenti etiam, tribui ſueuit *Neceſſitas*, *Vniuerſalitas*, *Immutabilitas* et *Aeternitas* §. 67. Pr. sed hypothetice tantum; ich meine [illegible] so lange die Existenz der Dinge, unserer selbst, kurz der [illegible] Realität, wie sie izo ist, fortwähret, [illegible] nat. Necess. Univers. immutabil. et aeternum

TITVLVS IV.

DE

LEGIBVS PERFECTIS

QVA

LEGIBVS EXTERNIS.

§. 49.

Obligatio iuridica, quae metu coactionis humanae efficitur, ſeu qua homo homini tenetur, dicitur OBLIGATIO EXTERNA (in foro externo, humano); quae vero metu poenae diuinae efficitur, ſeu qua homo Deo tenetur, INTERNA (in foro interno, diuino, conſcientiae §. 110. Pr.). Inde notiones dimanant *legis*, *Iuris* obiectiue ſumti, *officii* EXTERNI et INTERNI §. 112. 113. Pr.; parique ratione notiones *reatus*, *culpae*, *doli*, *imputatiuitatis* et *imputationis* EXTERNAE et INTERNAE; itemque eius, quod EXTERNE et quod INTERNE eſt *illicitum*, *licitum*, *indifferens*, *obligatorium*, *praeceptum*, *prohibitum*, *debitum*, *iuſſum*, *permiſſum*, *rectum*, *minus rectum*, *imputabile*, *culpabile*, *inculpabile*,

dolo-

Digitized by Google

doloſum, *culpoſum*. Quidquid ſcilicet poſito Iure Externo (in ſphaera legum externarum, in foro humano) licet, praeceptum, prohibitum eſt cet. illud *externe* licet, praeceptum, prohibitum eſt cet. Hinc IVS EXTERNVM ſubiectiue ſumtum cogitandum, vt facultas aliquid licite agendi, quatenus obligationi externae alterius reſpondet. Actio externe ſeu in foro humano indifferens vocatur etiam *actus meri arbitrii* (res merae facultatis, voluntatis) §. 114. 115. Pr., et ius, quod in actum talem, competit, *ius meri arbitrii*.

§. 50.

Ne vero, quae Iuris Externi ſunt, confundantur cum iis, quae ad Ius Internum pertinent, cui proprium et ſacrum eſt vocabulum *morale*; iuuat, id quod vi legis externae eſt impoſſibile, poſſibile, neceſſarium cet.; vocare LEGALITER *impoſſibile*, *poſſibile*, *neceſſarium*, cet. Vnde et notio *impedimenti legalis*, et ipſius iuris externi tamquam *facultatis legalis* deducitur §. 114. Pr.

§. 51.

Perſpicitur inde, 1) omnem obligationem imperfectam eſſe mere internam, ideoque ETHICAM,

Digitized by Google

CAM, ſcientiam obligationum naturalium internarum (quae obligationes naturales omnes non conſiderat niſi tamquam internas, reſpectu nimirum voluntatis diuinae) pertinere dumtaxat ad *Ius Internum*; 2) contra vero ea omnem obligationem perfectam eſſe internam et externam ſimul, ideoque *Ius Naturale cogens*, quatenus conſideratur *reſpectu obligationum* ſuarum, eſſe *Ius Mixtum*, *Internum* nempe *et Externum ſimul*. 3) Quum vero ius externum naturaliter detur ad omnia, quae conſeruationi alterius non aduerſantur, inter quae plura eſſe poſſunt moraliter et ethice illicita §. 132. Pr., et ius naturale ſtrictum ſeu ius perfectum ſpectari poſſit vt externum §. 130. Pr., hinc iura quaedam ſtricta dentur, quae non ſunt interna, ſed mere externa: conficitur, *Ius Naturale cogens, quatenus conſideratur reſpectu iurium ſuorum, eſſe quoad aliqua quidem iura Ius Mixtum, quoad alia vero Ius mere Externum.*

§. 52

ACTIO externe illicita dicitur INIVSTA (*externe*, immo in foro externo *ſimpliciter*), licita

ex

Digitized by Google

ex aduerſo IVSTA (externe) §. 116. Pr., et factum, vi legis externe minus rectum, FACTVM INIVSTVM, quod vel eſt inculpabile vel doloſum vel culpoſum. LAESIO eſt violatio iuris externi alterius, hinc in abſtracto conſiderata ad actiones iniuſtas pertinet, in concreto ad facta iniuſta, atque ita vel *doloſa* vel *culpoſa*, vno verbo *culpabilis*, vel *inculpabilis* eſt. Culpabilis laeſio dicitur INIVRIA latiori ſignificatu, doloſa laeſio ſeu factum externe doloſum appellatur MALEFICIVM §. 117. 118. Pr.

Ergo poſitis legibus externis ponitur obligatio externa ad *non iniuſte agendum*, ad *neminem laedendum*, ad *iniuriam nemini inferendam*, ad *maleficium non patrandum*.

§. 53.

Id, quo quis vti aliis excluſis iure (vi Iuris Externi) poteſt, vocatur intuitu eiusdem perſonae SVVM, intuitu aliorum ALIENVM. Dicitur etiam illud ius, quod alicui cum aliorum excluſione competit, *ius ſuum*. Hinc qui violat ius alterius in id, quod eſt ipſius ſuum; et qui violat ius ſuum alterius, is alteri *ſuum non tribu-*

 it;

Digitized by Google

it, *ius ſuum turbat* (quo pertinet: *inuadere*, *ſubtrahere*, *auferre alienum*); qui minus violat, is alteri, quod *ſuum* eſt, et *ius ſuum tribuit* (quo refer: *relinquere* alteri *ſuum*, *abſtinere ab alieno*).

Ergo poſito τo ſuum et iure aliquo ſuo, hinc poſitis legibus externis ponitur alterius obligatio externa ad *ſuum* (et ius ſuum) *cuique tribuendum*, ad ſeſe *abſtinendum ab alieno*, ad *nemini ſuum auferendum*, ad *neminem in vſu iuris ſibi impediendum* ſeu *turbandum* §. 121. Pr.

§. 54.

Et quia in illo iure, quod mihi competit, excludendi alios ab uſu τȣ meum, conſiſtit PROPRIETAS mea *latius* dicta, conſequitur, vt omne *ſuum* et *ius ſuum* alicuius contineat hoc ſenſu *proprietatem* et ſit *proprium* §. 122. Pr.; vnde et *ſuum* concipi poteſt tamquam id, in quod alicui competit ius proprium §. 124. Pr. Attamen *ſtrictius* PROPRIVM deſignat, quod alicui ſoli; COMMVNE autem, quod pluribus ſimul eſt proprium. Vnde patet, 1) *ſuum* alicuius eſſe vel *proprium ſtrictius* dictum vel *commune*,

2)

Digitized by Google

2) *commune* eſſe vel *meum* vel *alienum*, 3) COMMVNIONEM vero (iuris, τȣ ſuum) omnem eſſe proprietatem, ſed *latius* conceptam, quippe pluribus ſimul competentem.

§. 55.

Quoniam denique malum laeſi e laeſione appellatur DAMNVM §. 126. Pr.: quod in *culpabile* (damnum iniuria datum) et *inculpabile* (citra iniurium datum), in *culpoſum* et *doloſum* diſpeſcitur §. 127. Pr.: facile eſt ad animaduertendum, poſito τo ſuum poni obligationem externam, ad *damnum alteri non inferendum*, ideoque, ſi quod datum fuerit, ad efficiendum, vt illud ceſſat, hoc eſt poni *obligationem* laedentis ad *damnum ei, cui datum, reparandum*; cui obligationi reſpondet *ius laeſi, exigendi reparationem damni a laedente*, tamquam a quo illatum eſt, vno verbo *ius indemnitatis*.

§. 56.

Atque haec Iuris Externi principia ad *Ius Naturale Cogens*, quatenus vt Externum ſpectatur, applicari poſſe in aprico eſt. Quidquid igitur po-

Digitized by Google

ſitis legibus naturalibus perfectis eſt *iniuſtum*, *iuſtum*, *laeſio*, *iniuria*, *ſuum*, *proprium*, *commune*, *damnum*; NATVRALITER tale eſt: et quidquid in ſphaera Iuris Naturalis Cogentis concipitur vt *iniuſtum*, *iuſtum*, *laeſio*, *ſuum*, *damnum* cet.; non cogitatur niſi quatenus vi *legis perfectae* eſt tale.

§. 57.

Sume igitur dari aliquid, quod *naturaliter* eſt ſuum, laeſio, damnum cet., ponas etiam et admittas neceſſe eſt tamquam principia Iuris Naturalis Cogentis, 1) reſpectu obligationum: *ſuum* (naturale) *cuique tribue*, *neminem laede*, *damnum datum eſt reparandum* cet. §. 131. Pr.; 2) reſpectu iurium: *cuilibet ius* (naturale) *ſtrictum* competit, vt *ſuum* (naturale) *ſibi tribuatur*, vt ne *laedatur*, vt *damnum ſibi datum a laedente reparetur* cet. §. 132. Pr.

Atque ita ius naturale in corporis vitaeque noſtrae conſeruationem *per hypotheſin* iam in anteceſſum generalius cogitari poteſt tamquam ius in conſeruationem omnis eius, quod naturaliter eſt noſtrum, et tamquam ius, omnia iura naturaliter nobis competentia intacta ſeruandi. Vnde et amplificari poteſt notio *iuris* quod laeſio na-

Digitized by Google

naturaliter competit in *ſui* ſecuritatem et *defenſionem* §. 134. Pr.; immo et ipſa *coactio* et *violentia* §. 34. generalius concipi poteſt tamquam actus, quo ſuum quodcumque laedentis inuaditur, quae, qua medium ſe ſuumque contra laeſionem alterius conſeruandi neceſſarium, naturaliter iuſta eſt §. 135. Pr., quum reliqua coactio omnis ſit naturaliter prohibita ideoque iniuſta.

Competunt igitur cuique haec iura naturalia perfecta tamquam externa: 1) ius ſecuritatis, 2) ius defenſionis, 3) ius indemnitatis §. 55. 4) IVS VINDICTAE (ius vlciſcendi) hoc eſt ius, ob iniuriam ſibi illatam mala inferendi laedenti ad praecauendas iniurias ſimiles. Quod ius vindictae ſurrogatur in locum iuris puniendi, quum vocabulum *poenae* in ſphaera legum iuridicarum et omni Iure Externo alium habeat ſignificatum §. 41. et 45.

Hinc etiam intelligitur, vſum violentiae contra eum, qui nos culpabiliter laedit, pertinere quidem ad imputationem §. 137. Pr.; ſed, quum ius ſeſe conſeruandi ex naturali ad nos conſeruandos obligatione deriuetur, *dari violentiam na-*

Digitized by Google

turaliter iuſtam, quae non eſt imputatio, quatenus puta dantur facta, quae nos laedunt, alteri tamen imputari nequeunt §. 139. Pr.

§. 58.

Accidit interdum, vt aliquis verſetur in colliſione officii naturalis externi ſeu officii perfecti cum vitae ſuae conſeruatione, qui STATVS hominis dicitur EXTRAORDINARIVS (neceſſitas extrema, periculum vltimum). Hoc caſu quatenus obligatio ad vitam conſeruandam fortior eſt obligatione ad officium perfectum faciendum; *homini in ſtatu extraordinario competit facultas moralis excipiendi ab officio perfecto, vt ne pereat*, quae facultas vocatur FAVOR NECESSITATIS §. 144. et 145. Prol.

At enim vero 1) quum obligatio naturalis ad vitam ſuam conſeruandam non ſit ſuprema, ſed ipſa potius aliis obligationibus naturalibus ſubordinata; *fauor neceſſitatis non vltra competit, quam quatenus obligatio alia fortior non obſtat* §. 147. Prol. 2) Quamuis *fauor neceſſitatis ſit ius naturale, internum* nempe et moraliter tale; *neutiquam* tamen *eſt ius naturale externum*,

quin

quin potius *in eius exercitio continetur laeſio*, cum iure defenſionis et indemnitatis laeſi copulata. Sed haec laeſio imputari nequit et inculpabilis eſt §. 148. et 149. Prol.

§. 59.

Si Ius Naturae Cogens tamquam Ius Externum conſideratur, *in eo actionum externarum dumtaxat, quatenus inter homines probari poſſunt, ratio habenda* §. 141. Pr. Non vero poteſt hoc Ius non conſiderari vt externum, quotiescumque illud ad forum humanum eſt applicandum, vt ſcilicet principiis Iuris Naturalis vtamur ad lites inter homines exortas decidendas, hinc etiam ad actiones humanas quod ad earum iuſtitiam vel iniuſtitiam externam diiudicandas.

Quoniam igitur Ius Naturale Cogens non tantum qua Ius Externum ſpectari poteſt; ſed vt ita nec aliter ſpectetur, tum ipſa huius ſcientiae indoles et *character eſſentialis*, quo differt a reliquis Philoſophiae Practicae diſciplinis; tum etiam *vſus* et *fines* huius ſtudii ſupra notati §. 2. 3. 4. neceſſario requirunt: illud tamquam Ius Externum et ſub ratione Iuris Externi potiſſimum pertractare

conſtituimus. Vnde et breuitatis cauſſa Ius Naturale Cogens qua Ius Externum ſpectatum ſimpliciter *Ius Naturale* vocabimus, atque idem et de terminis connexis dictum volumus.

§. 60.

Et primo quidem loco de iis *iuribus* atque *obligationibus*, quae in *ſtatu naturali ſingulorum* obtinet, exponemus, tum vero ad *ſtatuum* hominum ſocialem conſiderandum nos conuertemus. Poteſt nimirum *Ius Naturale* illud, de quo nobis eſt ſermo, quemadmodum Ius Naturale in genere, pro differentia *ſtatus*, qui in hominibus aſſumitur, vel *ſocialis* vel *naturalis*, in *Ius Sociale Vniuerſale* et in *Ius mere Naturale* diſpeſci §. 91. Pr., atque hoc *Ius mere Naturale* (*Cogens et Externum ſingulorum*) inter varias illas Iuris Naturalis ſignificationes eſt *Ius Naturale ſtrictiſſime* dictum.

AD-

Digitized by Google

ADDITAMENTVM

AD INTROD. IVR. NATVR.

HISTORIA

IVS NATVRALIS

LITTERARIA.

I.

H*iſtoriam* Iuris Naturalis, praeter eos ſcriptores, qui vel in genere hiſtoriam litterariam; vel in ſpecie hiſtoriam, tum omnis Philoſophiae, tum Iuris Vniverſi conſignarunt; vel etiam ſpecialius hiſtoriam Iuris Naturalis ipſi illius ſyſtemati ſuo adiecerunt: qui ſpecialiſſime ſingulari ſcripto expoſuerunt, in primis ſunt BVDDEVS 1), FRAENINGIVS 2), LVDOVICI 3), THOMASIVS 4), GLAFEY 5), SCHMAVSSIVS 6).

1) Ioh. Franciſc. BVDDEVS in *hiſtoria Iuris Naturalis*, cuius auctior editio continetur in eius *ſelectis Iuris Nat. et Gent.* Halae 1704. et 1717. 8. *diſſert.* I.

2) Ioh. GROENINGII ICti *bibliotheca Iuris Gentium Europaea*, ſ. de Iuris Naturae et Gentium principiis iuxta doctrinam Europaeorum libri III, Hamburg. 1703. 8.

3) Iac. Frieder. LVDOVICI in *delineatione hiſtoriae Iuris Diuini Naturalis et Poſitiui Vniuerſalis*, ed. auctior, Halae 1714. 4.

4) Chriſtian. THOMASIVS in *hiſtoria Iurisprudentiae Diuinae paulo pleniori*, Halae 1719. 4.

5) Adam Frider. GLAFEY in ſeiner *vollſtändigen Geſchichte des Rechts der Vernunft* nebſt einer *Bibliotheca Iuris Naturae et Gentium*. verbeſſerte Aufl. Leipzig 1739. 4.

6) Ioh. Iac. SCHMAVSSENS *neues Syſtema des Rechts der Natur*, Göttingen 1754. 8. cuius maxima pars occupatur in recenſenda Iur. Nat. hiſtoria.

II.

Ius Naturale, quod cum incunabulis mundi ſingulorum hominum et familiarum, deinde maiorum quoque ſocietatum, ciuitatum et gentium dirigere actiones, ad ius ſuum cuique tribuendum, coepit; *ipſo vſo* nulli vmquam aeuo incognitum fuit. Sed *ſyſtematica* eius tractatio diutiſſime neglecta effecit, vt ſero admodum nobiliſſi-

ma doctrina inter reliquas diſciplinas, in formam artis redactas, locum inuenerit.

III.

Antiquis quidem *temporibus Graecorum* Philoſophorum ſectae, quas poſtea et *Romani* propagauerunt, nonnulla de legibus naturalibus diſſeruere, et varia iuſti atque iniuſti ſtruxere principia; non tamen ſeparatis a reliqua Philoſophia Practica Iuris Naturae, tamquam peculiaris diſciplinae, rationibus.

IV.

Atque hoc ipſum *medio* etiam *aeuo*, quo omnes bonae litterae opaca quaſi caligine merſae iacebant, ab eruditis horum ſaeculorum *Patribus Eccleſiae*, *Iure Conſultis* atque *Scholaſticis* adeo fuit neglectum; vt, quae purior veterum de Iure Naturali erat doctrina, nunc cum *Theologiae Chriſtianae*, *Iuriumque Romani* et *Canonici* ſanctis perquam inepte commiſceretur.

V.

Inſtauratis litteris IOHANNES OLDENDORPIVS 1), NICOLAVS HEMMINGIVS 2) et BENEDICTVS

DICTVS WINCKLER 3) ad explicandum Ius Naturale acceſſerunt; ſed illotis manibus rem aggreſſi, incaſſum laborarunt. Haud quidem plane infeliciter ceſſit aliorum in pertractandis quibusdam ſpecialibus Iuris Naturae et Gentium argumentis collocatus labor: ſed HVGO GROTIVS 4) tamen hanc meruit gloriam, nomini ſuo ſacram, vt, editis de *Iure Belli* et *Pacis* libris tribus, primus exiſteret diſciplinae Iuris Naturalis conditor: quod opus illius ad vſus publicos egregie comparatum, licet eruditum magis quam ſyſtematicum, ob multiplicem operam, quam tot eruditi, ad idem illuſtrandum atque emendandum, notis, commentariis, compendiis, tabulis ſynopticis et verſionibus ſuis contulerunt, in hunc vsque diem eſt celebratiſſimum. Quum in Grotiano ſcripto deſint non pauca, quae requiruntur ad iuſtum Iuris Naturalis ſyſtema: poſtea illud integrum exſtruxit Hugonis frater GVILIELMVS 5).

1) Iohannis OLDENDORPII *Iuris Naturalis, Gentium et Ciuilis iſagoge*, Colon. Agripp. 1539. 12. Haec aliquoties recuſa, etiam nouiſſime curante Carolo Antonio MARTINI, Viennae 1759. 8. Auctor Oldendorpius

pius ICtus Germanus, a ſcriptoribus hiſtoriae Iuris Nat. hactenus neglectus, prima huius ſcientiae fundamenta poſuiſſe dici merito poteſt, obſeruante Excell. HOLMANNO in *proleg. Iurisp. Nat.* §. 6.

2) Nicolai HEMMINGII *de lege Naturae methodus apodictica*, Vitemb. 1562. 1564. 1577. 8.

3) Benedicti WINCKLERI *principiorum Iuris* libri V, *in quibus genuina Iuris tam Naturalis quam Poſitiui principia et firmiſſima Iurisprudentiae fundamenta oſtenduntur, eiusdem ſummus finis ob oculos ponitur; et Diuina auctoritas probatur*, Lipſ. 1615. 8.

4) Hugonis GROTII de *Iure Belli et Pacis* libri tres, Pariſ. 1625. 4. ſaepiſſime recuſi. Optima editio cum *annotatis auctoris*, eiusdemque diſſ. de *mari libero* ac libello de *aequitate*, *indulgentia* et *facilitate*, nec non Ioh. Frider. GRONOVII notis, eſt ex *recenſione* et cum *notulis* Iohannis BARBEYRACII, tom. II. Amſtelaedami 1720. et iterum 1735. 8. mai. Inter verſiones eminet eiusdem BARBEYRACII *Gallica: le Droit de la Guerre et de la Paix* par Hugues GROTIVS, avec les *notes* de l'*Auteur* et du *Tractudeur*, II. tomes Amſterd. 1724. 4. iterumque 1729, cuius correctior editio Baſil. 1746., alia vero

aucta

aucta Grotii vita, quam BURIONI conſignauit, nouis BARBEYRACII *notulis* et quibusdam excerptis e *Commentario Cocceiano* prodiit Amſtelod. 1754. item denuo Lugdun. Batauor. 1759. II. tomis 4. De reliquis huius operis verſionibus, in illudque notis et commentariis cet. conferatur MEISTERI *Bibliotb. Iur. Natur. p.* 199. ſeq.

5) Guilielmi GROTII de *principiis Iuris Naturalis* enchiridion, Hag. Comit. 1667. 4.

VI.

Noua principia nouamque methodum amplexus THOMAS HOBBESIVS 1), ingenium mathematicum, optime philoſophabatur; ſed ex principio peſſimo: cui aequius ſuum oppoſuit RICHARDVS CVMBERLANDVS 2) aliique, quibus tamen palmam praeripuit SAMVELIS PVFENDORFII 3) Ius Naturae et Gentium, opus vtiliſſimum et ſyſtematicum, atque ex aduerſariorum aeque ac aſſeclarum caterua perquam illuſtre.

1) Thomae HOBBESII *elementorum philoſophiae* ſectio III. de *Ciue* Paris 1642. 4., poſtea ſeparatim prodiit ſub titulo: *Elementa philoſophiae de Ciue*, Amſtelod. 1647. 12, quod ſcriptum aliquoties recuſum, recentiſſime vero Genev. 1742. 12. Eiusdem verſionem

nem Gallicam dedit *de* SCHORBIERE, Amſtelod. 1649. 8.

Eiusdem auctoris *Leviathan*, or concerning Commonwalth, London 1651. fol et 8. Idem liber latine editus hoc titulo: *Leviathan*, ſiue *de Ciuitate Eccleſiaſtica et Ciuili*, Amſtelod. 1667. 4. et *appendix ad Leuiathanem*, ibid. 1668. 4.

2) Richardi CVMBELANDI commentatio philoſophica de *Legibus Naturalibus*, in qua ſimul refutantur elementa ethica et politica Thomae Hobbeſii, Lond. 1672. 4. cuius etiam aliae recentiores editiones exſtant, et verſio quoque Gallica: *Traité philoſophique des Loix Naturelles* par le D. CVMBERLAND, traduit du Latin p. Mr. BARBEYRAC avec des *Notes* du Traducteur qui y a joint celles de la *traduction Angloiſe*, Amſterd. 1744. 4.

3) Samuel. PVFENDORFFII *Iurisprudentiae Vniuerſalis elementa methodo mathematica*, Lugd. Batau. 1660. 8.

Eiusdem de *Iure Naturae et Gentium* libri VIII. Primum prodiere Lundini Scanorum 1672. 4. nouam editionem poſt alias cum Commentariis integris *Hertii* et *Barbeyratii* curauit Gottfriedus MASCOVIVS adiectis animaduerſionibus ſuis. II. tom. Francof. et Lipſ.

Digitized by Google

Lipſ. 1744. 4. recuſ. Francof. 1759. Gallicam vero verſionem *Iohannes* BARBEYRACIVS cum *notis* iam 1706. II. tomis Amſtelod. 4. in lucem publicam emiſit, et correctiorem auctioremque ib. 1734, ſexta edit. huius verſionis Baſil. 1750. ſeptima Lugd. Batauor. 1759. II. tom. 4. impreſſa. Italice verſa: Il diritto della natura e delle Genti di Sam. B. di Pufendorff rettificato, accreſciuto ed illuſtrato da Giouam Battiſta ALMICI, Venezia 1757. 4.

Eiusdem de *Officio Hominis et Ciuis*, Lundini 1673. 8.

De notis et commentariis in vtrumque poſteriorem librum, quorum hic eſt compendiarius, ille ſyſtema continet plenius, vt et de eorundem reliquis verſionibus conf. *Biblioth. Philoſ. et Iur. Nat.*

VII.

Aliam viam ingreſſus CHRISTIANVS THOMASIVS 1), receptarum opinionum acer hoſtis, nouarum defenſor non ſemper ſibi conſtans, plura protulit haud dicta, nec tamen meliora omnia. Non ita multo poſt HENRICVS COCCEIVS 2) ex nouo fonte deriuare praecepta Iuris Naturalis, eiusque limites, a reliquarum diſciplinarum moralium rationibus ſollicitus diſtinctos, primus con-

conſtituere coepit; quod ſyſtema, in commentario ad Grotium fuſius explicatum, publici iuris fecit luculentiusque ſimul ipſe pertractauit perilluſtris filius SAMVEL L. B. de COCCEII 3). Tandem vero etiam HENRICVS KOEHLERVS 4), et CHRISTIANVS L. B. de WOLF 5), vterque LEIBNITII principiis nutritus, in Iure Naturae ſecundum methodi demonſtratiuae regulas euoluendo deſudarunt, atque huic doctrinae lucem affuderunt ſane eximiam: quorum veſtigia et nunc premunt plurimi; licet non deſint, qui pro ingenio quisque in varia abire malunt.

1) Chriſtiani THOMASII *inſtitutiones Iurisprudentiae Diuinae*, Francof. et Lipſ. 1688. 4.

Eiusdem *fundamenta Iuris Nat. et Gentium ex ſenſu communi deducta*, Hal. et Lipſ. 1705. 4. Vtrumque opus auctum et mutatum aliquoties prodiit.

2) Henrici COCCEII diſſ. de *principio Iuris Nat. vnico, vero et adaequato*, reſp. Samuele COCCEIO filio, Francof. ad Od. 1699. Hoc ſcriptum eſt primum ex pluribus iis, in quibus propoſuit nouum ſyſtema ſuum.

Digitized by Google

3) Henrici L. B. de Coccеii *Grotius illuſtratus* cum *obſeruationibus et introductione* Samuelis L. B. de Coccеii, Vratislau. tom. I. 1744, II. 1746. III. 1748., fol. addita *introductione* Sam. de Coccеii ad *Grotium illuſtratum* Hal. 1748. fol. (quae introductio paulo poſt et ſeparatim ibidem edita ſub tit. *Nouum ſyſtema Iuſtitiae Naturalis et Romanae*, 8.) Auctum hoc opus *Gronouii* ac *Barbeyracii* animaduerſionibus prodiit correctius ſub titulo: Hugonis Grotii *de iure belli et pacis* libri III. *cum commentariis* locupletiſſimis Henr. L. B. de Coccеii nunc ad calcem cuiusque capitis adiectis, inſertis quoque *obſeruationibus* Sam. L. B. de Coccei, Lauſannae 1751. 4. tomis V.

4) Henrici Köhleri *Exercitationes Iuris Naturalis eiusque imprimis Externi*, methodo ſyſtematica propoſiti, Ienae 1729. 4.

Eiusdem *Iuris Socialis et Gentium ad Ius Naturae reuocati* ſpecimina VII. Ienae 1736. 4. Semel iterumque recuſae ſunt tum exercitationes tum ſpecimina haecce.

5) Chriſtiani Wolfii *Ius Naturae* methodo ſcientifica pertractatum, tomi VII., Francofurt. et Lipſ. poſtea Hal. Magdeb. 1740. 1747. 4.

Eius-

Digitized by Google

Eiusdem *Ius Publicum Vniuerſale*, 1748. 4.

Eiusdem *Ius Gentium*. 1749. 4.

Eiusdem *Inſtitutiones Iuris Naturae et Gentium*, Halae Magdeb. 1750. 8. Huius opuſculi ex maiori opere extracti Germanica verſio prodiit: Grundſätze des Natur- und Völkerrechts (überſetzt von Gottlob Samuel NICOLAI), Halae Magdeb. 1754. 4. Proſtat etiam compendium Wolfiani operis Gallica lingua conſignatum ſub titulo; *Principes du Droit de la Nature et des Gens* tirés du grand Ouvrage de Mr. de Wolf (p. Mr. FORMEY), Amſterd. 1757. 4. et ſimul III. tomis 12.

Animaduerſiones quaedam non contemnendae in Wolfianum Iuris Naturalis opus maius continentur in libello: *Queſtions de Droit Naturel* et *Obſervations ſur le traité du Droit de la Nature de* M. le B. *de Wolf*, par Mr. DE VATTEL, Berne 1762. gr. 12.

VIII.

Atque hi fere ſunt *duces* reliquorum omnium, qui Iurisprudentiam Naturalem ſcriptis publicis pertractauere. Et *Germanos* quidem, quae vna Gens ceteras in vniuerſum omnes multitudine Iuris Vniuerſalis Conſultorum longe antecellit, vt recenſeamus, opus eſſe non videtur. Sunt tamen

Digitized by Google

Exteri plures, qui hac doctrinā magnopere inclaruerunt, quos inter primo loco nominandi ex Anglis RVTHERFORTHIVS 1) et HVTCHESONIVS 2), ex Heluetis BVRLEMAQVIVS 3), Gallis AVBE 4) et VILLAT 5), Danis HOLBERGIVS 6) et BASEDOVIVS 7).

1) *Inſtitutes of Natural Laws* being the ſubſtance of a courſe of lectures on Grotius de I. B. et P. read. in St. Iohn's college of Cambridge by T. RVTHERFORTH DD. F. R. S. London 1754. 8.

2) Franciſci HVTCHESONII *Philoſophiae Moralis inſtitutio compendiaria* libris III. *Ethices* et *Iurisprudentiae Naturalis* elementa continens, Glasguae 1745. 12. Huius opuſculi plenior tractatio ex morte auctoris anglice publicata eſt:

A Syſtem of Moral Philoſophy by Francis HVTCHESON LL. D. Profeſſ. of Philoſ. in the Vniuerſity of Glaſcow, publiſhed by his ſon Francis HVTCHESON, London 1755. II. Vol. 4., Germanice prodiit Lipſ. 1756. II. tom. 8. ſub. titulo: *Sittenlehre der Vernunft.*

3) *Principes du Droit Naturel* part. I. I. BVRLEMAQVI, Conſeiller d'Etat et cydevant Profeſſeur en Droit Naturel et Ciuil à Gene-

Geneve, Geneve II. partis, 1747. 4, et 1748. 8., eiusque Latina verſio cura Abrahami SAGE ſub titulo: *Iuris Naturalis Elementa*, ibid. 1754. 8.

(*Eiusdem*) *Principes du Droit Politique*, Geneve 1751. 4. Vtrumque ſcriptum, expreſſo Auctoris nomine, in Belgio recuſum 8., vtriusque etiam exſtat verſio Anglica.

4) *Eſſai ſur les Principes du Droit et de la Morale* p. M. D' AVBE Maitre des Requetes, Paris 1743. 4.

5) Le Droit de la Nature et des Gens par Mr. de VILLAT, Londres 1758. II. tomes 4.

6) Ludwigs Freyherrn von HOLBERG *Einleitung* in das *Natur- und Völker-Recht* nach der IVten Däniſchen Ausgabe überſetzt, Copenhagen und Leipzig 1748. 8.

7) *Practiſche Philoſophie für alle Stände* von Iohann BASEDOW Profeſſ. auf der königl. Daen. Ritteracademie in Soröe, Copenh. und Leipz. 1758. II. Theile 8.

IX.

Ceterum, qui, praeter Hiſtoriam diſciplinae Iuris Naturalis, deſiderat librorum, commentationum, obſeruationum, diſſertationum cet., notitiam, quibus vel Ius Naturale totum, vel eius

Digitized by Google

pars aliqua ſpecialis, aut ſingulum quodque argumentum eſt explicatum; conſulat neceſſe eſt *Bibliothecas* huic fini inſeruientes. Faciunt huc generatim Bibliothecae omnis eruditionis aut variarum diſciplinarum, propius vero illae, in quibus vel totius Iurisprudentiae vel Philoſophiae vniuerſae ſcripta enumerantur, proxime autem illae, quae in vſum diſciplinae noſtrae proprium ſunt adornatae. Atque has inter qui nouit MEISTERI 1) *bibliothecam*, reliquas ſine detrimento poteſt ignorare.

1) D. Chriſtian. Frid. Geo. MEISTERI *Bibliotheca Iuris Naturae et Gentium*, Gottingae pars I. 1749, II. et III. 1757. 8.

IVRIS

IVRIS NATVRALIS

LIBER I.

IVS NATVRALE STRICTISSIME DICTVM.

§. 61.

IVS NATVRAE *ſtrictiſſime* dictum ſeu IVS MERE NATVRALE eſt ſcientia legum naturalium in ſtatu naturali obſeruandarum §. 60. Ergo docet IVRA atque OBLIGATIONES MERE NATVRALES, quae nempe poſito ſtatu hominum naturali ponuntur, ideoque tales, quae ſine poſita quadam ſocietate particulari §. 91. Pr. concipi poſſunt; et determinat id, quod SVVM cuiusque eſt in ſtatu naturali, MERE NATVRALE, atque OFFICIA ſtatus naturalis, MERE NATVRALIA.

§. 62.

Status hominum naturalis conſiderari poteſt vel qualis *per ſe* eſt et *abſolute*, vel qualis eſt poſito ſimul *facto* quodam *iuridico*, id eſt facto humano, quo ius et obligatio *inducitur*, hoc eſt nouum ius et voua obligatio conſtituitur, *hy-*

Digitized by Google

potbetice; prior STATVS NATVRALIS vocatur ORIGINARIVS (primitiuus, abſolutus, ſtatus a natura, ab origine), poſterior ADVENTITIVS (hypotheticus). Porro *factum*, quod in ſtatu aduentitio ſumitur, vel qua *iuſtum* vel qua *iniuſtum* ſeu tamquam laeſio concipitur, poſita vero laeſione ponitur ius laeſi cogendi laedentem, quod in ſtatu naturali abire in ius belli oſtendemus. Inde ſtatus aduentitius diſpeſci poteſt in STATVM ADVENTITIVM *ſtrictius* dictum et in ſtatum BELLI. Hinc triplex deducitur *Iuris mere Naturalis* ſectio: 1) docet Ius ſtatus originarii, IVS NATVRALE ABSOLVTVM, 2) Ius ſtatus aduentitii ſtrictius dicti, IVS NATVRALE HYPOTHETICVM, 3) Ius ſtatus belli, IVS NATVRALE BELLI. Et quia ſtatus bello oppoſitus *pax* dicitur, ideoque ſtatus quum originarius tum etiam aduentitius conſiderandus eſt vt ſtatus pacis, quippe in iis abſentia laeſionis conſequentur et belli abſentia ponitur: Ius mere Naturale omne etiam in *Ius Naturale Pacis* et *Belli* diſpertiri poteſt.

LIBRI

Digitized by Google

LIBRI I.

IVRIS NATVRALIS

SECTIO I.

IVS NATVRALE ABSOLVTVM.

§. 63.

IVS NATVRALE ABSOLVTVM eſt ſcientia legum naturalium in ſtatu naturali originario obſeruandarum §. 62. Ergo docet IVRA atque OBLIGATIONES MERE NATVRALES, quae ſine poſito facto quodam iuridico ſeu abſtrahendo ab omni facto iuridico concipi poſſunt §. 61, quae dicuntur ABSOLVTAE (connatae); determinatque SVVM MERE NATVRALE ſtatus originarii, CONNATVM; et OFFICIA MERE NATVRALIA eiusdem ſtatus, ABSOLVTA.

Digitized by Google

TITVLVS I.

DE

IVRE CVIVSVIS RESPECTV SVI IPSIVS.

§. 64.

Homini competit 1) *ius* naturale internum et perfectum *in corporis vitaeque ſuae conſeruationem* §. 37, 2) ius naturale externum *ad ea agenda omnia*, *quae conſeruationi corporis et vitae alterius non aduerſantur* §. 51. et §. Pr. 132, et 3) ius externum indefinitum, quod tamen vtiliter applicari poteſt in Iurisprudentia Naturali, *ius* puta *agendi*, *quaecumque naturaliter non ſunt iniuſta* (externe), ſeu *quibuscumque alius naturaliter non laeditur* §. 132. Pr.; atque haec iura ipſi competunt, quatenus eſt homo, ideoque *a natura* ſeu in ſtatu naturali originario, hinc tamquam *iura connata* §. 63. Ergo *cuilibet* homini *a natura competit ius* 1) *in ſui conſeruationem*, 2) in omnes *actiones naturaliter iuſtas*, quo pertinent ſpeciatim, quaecumque conſeruationi alius vel aliorum non aduerſantur.

§. 65.

Digitized by Google

§. 65.

Quum itaque actio hominis quaelibet conſiſtat in vſu facultatum ſeu virium ſuarum naturalium hoc eſt in vſu corporis et animae ſuae; *cuilibet competit a natura* 1) *ius vtendi viribus ſuis naturalibus*, corpore et anima ſua, omnibusque et ſingulis vtriusque facultatibus, et quolibet corporis ſui membro et parte, hinc natura, humanitate, perſona, ſubſtantia ſua, ſe ipſo; quoad nimirum hoc vſu nemo laeditur. Conſequenter hoc ius habet etiam 2) *cum excluſione aliorum*, quatenus nempe in excluſione tali laeſio concipi nequit. Quamobrem *cuilibet competit ius* aliquod *connatum proprium in ſe ipſum, in perſonam ſuam, in corpus animamque ſuam, eorumque facultatem quamlibet, corporisque membrum quodcumque*, ideoque haec omnia conſideranda tamquam *ſuum* cuiusque *connatum* §. 53. et 63. *Datur* ergo *ſuum quoddam cuilibet natura competens in ſe ipſum.*

§. 66.

Ius in corporis vitaeque ſuae conſeruationem, hinc in ſinguli corporis membri ſanitatem totiusque integritatem, vocatur etiam *ius ſecuritatis perſona-*

Digitized by Google

ſonalis et quibusdam ius *ad exiſtendum*; (ad viuendum) ius vero agendi, quaecumque alterum non laedunt, ſeu ius agendi ea omnia, quibus ius alterius non violatur, dicitur quoque *ius ad* (iuſte) *operandum*. *Cuique* igitur *quum ius ad viuendum, tum ius ad operandum natura competit*, et *cuilibet in vitam ſuam eiusque vſum innocuum* (non-iniuſtum) *ius competit connatum* §. praec.

§. 67.

Ergo 1) *a natura nemini ius eſt in vitam, corpus perſonamque alterius, neque in actiones alterius iuſtas. Quilibet natura eſt ſibi ipſius* (ſibi ipſius proprius), *nemo alterius.* Quin potius 2) *quilibet natura obligatur* tum *ad non violandam vitam, corpus, perſonam alterius*, ex. gr. interficiendo, vulnerando, inſidias vitae ſtruendo, membra mutilando, corpus doloribus, inediis, vinculis, verberibus tormentisque aliis excruciando; tum *ad non turbandum alterum in actionibus ſuis iuſtis.* Ergo 3) ſpeciatim *quilibet obligatur pati, vt alter agat, quaecumque agere vult, et iure ſuo agere poteſt*; ideoque *cui-*

cuilibet permittendum, vt agat, quaecumque citra laeſionem alterius agere poteſt, hinc et *permittendum cuique, vt ſuo iure vtatur* ſeu *id exerceat*, et *nemo vi impediendus, quo minus faciat, quae ſine laeſione facere lubet; neque ab vllo quodam exigendum, vt committat, quod omittere, vel vt omittat, quod committere nulla lege obſtante mauult.* 4) *Qui* itaque *contrarium facit, violat ius alterius connatum ipſumque laedit.*

§. 68.

Atque ſic intelligitur, qua ratione *ius illud*, quod natura cuique competit in ſe ipſum et in omnes actiones ſuas non iniuſtas, *ſpectandum* ſit *tamquam proprium* ſeu tamquam tale, quod quisque habet *aliis excluſis*. Scilicet ius, mihi natura competens in me measque actiones iuſtas, eſt mihi proprium, quatenus nemini vlli a natura competit ius, 1) ſubſtantia mea ita vtendi, actionesque meas iuſtas eodem modo determinandi pro ſua voluntate (ſuo libero arbitrio), quemadmodum illud mihi competit pro meo arbitrio; nec hinc alteri ius competit, 2) vi impediendi, quo minus peragam, quae committere citra laeſio-

ſionem alterius; aut cogendi, vt committam, quae iure meo omittere poſſum.

TITVLVS II.

DE

LIBERTATE NATVRALI.

§. 69.

Ius determinandi pro arbitrio actiones alterius hominis vocatur in Iure POTESTAS (ſtricte, poteſtas in perſonam), ideoque inuoluit ius in vires ſeu facultates alterius naturales, et ius in ipſum ſeu in eius perſonam §. 65. SVBEST POTESTATI alterius (dependet ab altero ſeu a poteſtate alterius) is, in quem alteri competit poteſtas. Qui ergo ſub poteſtate alterius eſt, ad arbitrium (voluntatem) alterius actiones ſuas determinare obligatur, atque ideo dicitur dependere in agendo ab arbitrio alterius. Species poteſtatis eſt IMPERIVM, ius ſocii determinandi pro arbitrio actiones conſocii §. 63. Prol.

§. 70.

LIBER (ſui iuris) dicitur, qui poteſtati alterius non ſubeſt, ideoque LIBERTAS conſiſtit in

inde

Digitized by Google

independentia a poteſtate alterius, atque in abſentia ſeu negatione obligationis determinandi actiones ſuas ad uoluntatem alterius, continetque independentiam in agendo ab arbitrio alius. Diſtinguenda haec libertas a libertate pſychologica ſeu *libertate mentis* §. 7., tamquam interna, indeque appellatur etiam *iuridica* et *externa libertas.*

§. 71.

Quum a natura cuilibet competat ius proprium in ſe ipſum §. 65; *nemo natura eſt ſub poteſtate nec ſub imperio alterius* §. 69, et *quisque a natura liber eſt.* Et hic ſtatus hominis vocatur eius LIBERTAS NATVRALIS, quippe quae cuique competit tamquam ius naturale, immo connatum. Itaque vi libertatis naturalis tu non teneris, agnoſcere poteſtatem et imperium in te alterius, et qui poteſtatem vel imperium in te affectat, hinc libertatem tuam naturalem impugnat, te laedit.

§. 72.

Quoniam tamen homines legibus naturalibus adſtringuntur; *libertas naturalis extendi nequit ad agenda, quae conſeruationi alterius aduer-*

ſan-

Digitized by Google

ſantur et ad iniuſta, ergo praeciſe continetur eo iure proprio, quod cuique natura competere diximus in actiones ſuas naturaliter iuſtas §. 64.; ideoque nec cogitanda eſt tamquam ius, ſine vlla reſtrictione faciendi, quidquid libet, hoc eſt tamquam LICENTIA (libertas effraenata). *Licentia* enim, quoniam tolleret omnem obligationem naturalem, poneretque ius laedendi, *nemini competere poteſt*, et ad abſurda pertinet.

§. 73.

Atque ita ex ipſo conceptu libertatis naturalis intelligunt quidam eiusdem *limites*, qui in oppoſitione ad limites facto demum humano interueniente conſtitutos, quos *arbitrarios* (accidentales) dicunt, *naturales* (eſſentiales) vocantur.

§. 74.

Poteſtas in alterum vel ad certum finem reſtricta eſt, vel minus: illa vocatur PLENA, haec MINVS PLENA POTESTAS. Inde intelligitur LIBER aliquis eſſe vel PLENE qui nulli omnino poteſtati alterius ſubeſt; vel MINVS PLENE, qui ſubeſt poteſtati minus plenae. Qui igitur minus

Digitized by Google

nus plene duntaxat liber eſt, in quibusdam actionibus dependet ab altero, in aliis non dependet.

* Libertas naturalis, qualis in ſtatu originario concipitur; ius in varii generis actiones complectitur, ideoque vt *ius compoſitum* ſpectari poteſt, in varias *partes* (iura partialia) diuiſibile. Hinc *libertas plena* eſt, quae nulla ſui parte eſt diminuta; *minus plena* vero, quae aliqua ſui parte eſt diminuta.

§. 75.

Quum omnis prorſus poteſtas in ſtatu naturali exſulet §. 71; *quilibet natura plene liber eſt*, et *libertas naturalis eſt libertas plena*, quae *cuique competit tamquam ius connatum*, *violari neſcium*, quod ſcilicet ſine laeſione violari ab altero nequit.

§. 76.

Itaque ob hanc libertatem naturalem omnes hominis actiones naturaliter iuſtae ſunt independentes ab arbitrio, voluntate et iudicio alterius cuiuscumque, nec is, eatenus in agendo dependet niſi a ſe ipſo. Quamobrem *a natura cuilibet ius eſt, in determinandis actionibus ſuis iuſtis ſuum ſequendi iudicium, voluntatem, arbitrium*, et *reliquis incumbit obligatio ſtandi iudicio eius-*

 dem,

Digitized by Google

dem, nec vlli hominum rationem reddere tenetur, cur hoc faciat vel non faciat; modo tibi nihil faciat, ad cuius contrarium faciendum tibi perfecte obligatur. Quatenus ita ſtandum alterius iudicio permittendumque ipſi, vt agat pro ſuo arbitrio talia etiam, quae moraliter mala ſunt, te tamen non laedentia; *haec omnia* dicuntur *conſcientiae facientis et Dei iudicio eſſe relinquenda.*

§. 77.

Speciatim vero vi libertatis naturalis *cuique* etiam *ius natura competit,* 1) *ad facienda omnia officia naturalia* tum erga Deum, tum erga ſe ipſum, tum erga alios, ſeu ſint neceſſitatis officia ſeu charitatis, hoc nimirum effectu, vt in exercitio talium actionum quilibet et ſpeciatim quoad officia erga alios quilibet tertius obligetur me non turbare; 2) *ad facienda omnia, quibus ſe ipſum ſtatumque ſuum perfectiorem reddere poteſt,* hoc eſt *ius in perfectionem felicitatemque* ſuam; 3) *ius vtendi eo, quod ſuum eſt, et iure quolibet ſuo* pro ſuo arbitrio, 4) ius efficiendi ex non-ſuo ſuum, *ius* ADQVIRENDI; 5) *ius conſeruandi* et *retinendi ſuum,* hoc eſt volendi, vt quod

Digitized by Google

quod meum eſt, meum maneat, ex hinc nolendi, vt ceſſet eſſe meum. Etenim quum haec voluntas mea ſit iuſta, alter ſtare voluntati meae obligatur. Ergo *meum manet meum, donec volo.*

Haec omnia iuris naturalis ſunt, ſeu *cuique a natura ius competit ad haec omnia facienda pro ſuo arbitrio* (lubitu), *quatenus quidque fieri poteſt phyſice et legaliter*, quatenus nempe non obſtat impedimentum phyſicum vel legale §. 31. et 52.

§. 78.

Ius, cui reſpondet in altero obligatio adfirmatiua §. 10., dicitur IVS ADFIRMATIVVM; cui vero in altero reſpondere obligatio dumtaxat negatiua, IVS NEGATIVVM. Omnis obligatio connata eo redit, vt alterius vita et corpus non inuadatur, et actiones iuſtae non turbentur §. 64. Quatenus haec inuaſio et turbatio cogitari nequit niſi facto commiſſiuo, eatenus in ſtatu naturali originario non alia concipi poteſt obligatio, niſi ad aliquid non committendum, ſeu ad aliquid dumtaxat omittendum. Quare *a natura omnis obligatio eſt tantum negatiua*, conſequenter *omne*

Digitized by Google

ius in alterum eſt dumtaxat negatiuum. Ideoque *natura non dantur obligationes* (externae, et qua tales ſpectatae) *adfirmatiuae*, *nec iura in alterum adfirmatiua.*

§. 79.

Quatenus igitur a natura laeſio et actio iniuſta non datur, niſi quae conſiſtat in committendo, et hinc nulla actio omiſſiua eſt laeſio; *omnis actio omiſſiua in hoc ſtatu eſt iuſta.* Quatenus porro a natura non datur niſi actio omiſſiua, quae obligationi ſubſit; omnis *actio commiſſiua*, *quae eſt iuſta*, neque ad committendum neque ad omittendum eſt obligatoria, ideoque omnis eiusmodi actio *in hoc ſtatu eſt ſimul iuridice indifferens et res merae facultatis* §. 49. Atque ita *extenſio* libertatis naturalis perſpicitur.

TIT.

Digitized by Google

TITVLVS III.

DE

AEQVALITATE NATVRALI.

Alex. Gottlieb BAVMGARTEN diſſ. *de aequalitate hominum inaequalium naturali*, Francof. cis Viadrum 1744.

§. 80.

Quum hominum omnium natura in genere ſit eadem, et hinc etiam omnes homines eidem legi naturali ſubſint §. 47; iura etiam atque obligationes naturales hominum, qua talium, quatenus nempe ſecundum naturam ſuam genericam ſeu ſecundum meram humanitatem §. 10. Pr. conſiderantur, eadem eſſe intelliguntur. Quamobrem *a natura* ſeu in ſtatu naturali abſoluto *omnium hominum et iura ſunt eadem et obligationes eaedem.*

§. 81.

In ſignificatu *iuridico* et quidem *latiori* homines dicuntur AEQVALES (externe), quorum iura atque obligationes ſunt eaedem; contra vero INAEQVALES, quorum iura atque obligationes

non

non ſunt eaedem. *Homines* igitur qua homines *natura aequales ſunt*, ſeu *omnes omnibus in omnibus ſunt aequales* §. praec., ideoque hominibus erga ſe inuicem natura competit *aequalitas*, ſtatus, quatenus ſunt aequales, quae aequalitas hinc dicitur *naturalis* et *connata*.

§. 82.

Si ergo ſingulo cuilibet in ſtatu naturali originario cum ceteris omnibus in eodem ſtatu poſitis competunt eadem iura, eaedem obligationes; *nemini alia iura et obligationes*, nemini *plura* et *maiora*, vel *pauciora* et *minora iura* atque *obligationes*, *quam reliquis eiusdem ſtatus hominibus* omnibus *tribui poſſunt*. Quodſi itaque iura atque obligationes ſpeciales, quae hominibus natura inhaerent, conſideras in complexu et tamquam *quantum* aliquod; qualecumque hoc quantum fuerit, certum eſt, quantum illud eſſe in omnibus idem. Hinc ratio patet, cur ſtatus hominum originarius, ſeu qualis eſt a natura, *ſtatus aequalitatis* nominatus fuerit.

§. 83.

§. 83.

Atque inde conſtat, 1) *nullam vllius hominis natura dari* PRAEROGATIVAM (ius praecipuum), hoc eſt ius quoddam alicui prae aliis, eodem ceteroquin Iure vtentibus, competens; 2) hinc *nec* PRAECEDENTIAM (ius praecedentiae, proëdriam), praerogatiuam in ordine a pluribus ſimul obſeruando, 3) *id, quod a natura homini vni licet, licere et alteri; quod vnus alteri certo caſu debet, id* etiam *alterum eodem caſu viciſſim ipſi debere.* Ergo *quod iure tuo tibi non vis fieri ab altero, id nec alteri faciendum* eſt, et contra *quod iure tuo tibi vis fieri ab altero, id alteri quoque eſt faciendum. Quod iure tuo alteri facere non vis, id nec exigendum ab altero, vt tibi faciat.*

§. 84.

Quare vi huius aequalitatis naturalis *nemo natura obligatur agnoſcere iura alterius plura vel maiora ſuis, nec praerogatiuam* aut *praecedentiam* quamdam alterius; quin potius *quisque obligatur agnoſcere, tantumdem iuris competere alteri, quantum ſibi ſumit.* Quidquid igitur ti-

bi fas (ius) *eſſe contendis reſpectu mei vel tertii*, id *ipſum et mihi fas eſſe reſpectu tui vel tertii agnoſcere teneris*. Ergo *cuilibet competit ius aequalitatis* tamquam ius connatum. *Quicumque* igitur *ius praecipuum vel praecedentiam affectat*, atque adeo aequalitatem tollere nititur; *is ius alterius violat, eumque laedit.*

§. 85.

Quum homines a natura in omnibus iuribus ſint aequales; conſequitur, vt etiam quoad libertatem naturalem §. 71. ſint aequales. Ergo *natura omnes gaudent cum omnibus libertate naturali aequali.*

§. 86.

Datur vero etiam *ſtrictior ſignificatus* AEQVALITATIS, quo denotat ſtatum hominum, quatenus nemo eſt ſub poteſtate alterius, ſeu inter quos abeſt poteſtas et imperium §. 69. Quum à natura hominibus competat libertas omnibus cum omnibus aequalis; homines natura ſunt aequales etiam hac ſtrictiori acceptione. Et haec aequalitas ſpeciatim quoad imperium, quod ſupponit ſtatum ſocialem, non tantum viget in ſtatu ori-

 gina-

Digitized by Google

ginario, ſed etiam per omnem ſtatum naturalem perdurat.

TITVLVS IV.

DE

IVRE

CIRCA DECLARATIONEM MENTIS.

1. Gottl. Ger. TITII diſſ. de *officio ſermocinantium*, Lipſ. 1695. et in *Eiusd.* diſſert. Iurid. (Lipſ. 1729. 4.) p. 253.

2. Chriſt. THOMASII diſſ. de *homicidio linguae*, Halae 1699. recuſ. 1736.

3. Ioh. Gottl. BOHNII diſſ. *an liceat ſimulare et diſſimulare*, Lipſ. 1714.

4. Ioh. Eberh. ROESLERI diſſ. *de ſermone indeque orta obligatione*, Tubing. 1715.

5. *Diſſertation ſur le menſonge* p. Mr. Jaques SAURIN, tomo II. operis: Diſcours ſur les Evenemens les plus memorables du vieux et du nouveau Teſtament, La Haye 1728. fol. pag. 431-444.

6. Ioh. Dau. MICHAELIS *von der Verpflichtung der Menſchen die Wahrheit zu reden*, Göttingen, 1750. 4.

Digitized by Google

7. Ge. Henr. RIBOV diſſ. *de ſimulatione licita*, Reſp. Io. Iac. STARCK, Gotting. 1751.

§. 87.

MENTEM DECLARAT, qui actionem animae ſuae internam alteri ſignificat, ſeu externa actione §. 1. Pr. cognitam reddit. Quoniam cogitationes, volitiones, et reliquae actiones animae noſtrae internae, immediate ab altero homini percipi phyſice nequeunt, nec niſi mediantibus actionibus externis, tamquam internarum ſignis, percipi poſſunt: *neceſſe eſt*, *vt vbicumque animi noſtri ſenſa cum aliis ſunt communicanda, et mens noſtra ab aliis intelligenda*, id *declaratione perficiatur*; atque ideo neceſſe eſt, *vt*, ſi non omnis promiſcue, *aliqua certa declaratio* et *quaedam ſigna cogitationum et volitionum noſtrarum ipſis his actibus animae internis in negotiis humanis* (*externis* nempe ſeu in foro externo) *aequipolleant*.

§. 88.

DECLARATIO MENTIS ſeu DECLARATIO *ſimpliciter*, quae ex ſigno immediate percipitur, eſt EXPRESSA (explicita; quae ex facto colligitur,

gitur, TACITA (implicita). Expreſſae ſpecies praecipua eſt *declaratio verbalis*, quae fit per ſermonem ſeu cuius ſignum in verbis conſiſtit.

Declaratio verbalis fit verbis vel ore prolatis (loquela), vel ſcriptis (ſcriptura, ſiue calamo ſiue litteris typographicis ſeu aliis ſignis verba exprimantur); illa DECLARATIO ORALIS (quibusdam verbalis *ſtricte*), haec SCRIPTA (litteralis) appellatur.

Declaratio tacita, quum in abſtracto cogitari nequeat, niſi quatenus actus corporalis declarantis exiſtat; *omnis ſit facto commiſſiuo*; *quatenus* tamen *ex omiſſione actionis externae alteris mens eiusdem pro datis circumſtantiis adeoque in concreto colligi poteſt*; *haec omiſſio aequipollet declarationi*, atque ideo ad declarationem tacitam refertur.

§. 89.

ACTIO alicuius externa, quae cum interna animae ſuae conſentit, dicitur SINCERA. Hinc DECLARATIO SINCERA eſt, cuius ſignum cum mente declarantis conſentit; ſermo ſincerus vocatur VERILOQVIVM ſeu VERILOQVIVM MORA-

LE

LE. Ad diſtinguendam nempe *veritatem*, quae in ſermone ſincero cogitatur, a *veritate logica*, illa *moralis* appellatur.

E contrario ACTIO externa, quae ab interna diſſentit, vocatur SIMVLATA (ſimulatio, actio externa minus ſincera). Hinc DECLARATIO MINVS SINCERA (ſimulata) eſt, cuius ſignum menti declarantis contradicit; ſermo minus ſincerus dicitur FALSILOQVIVM (morale), quo etiam pertinet PRAETEXTVS (obtentus), ſermo, quo quis intentionem (moraliter) falſam ſignificat, ſeu intentionem ſimulat. DISSIMVLATIO autem eſt omiſſio actionis externae, vt interna cum ea conſentiens occultetur.

§. 90.

Declarare alteri mentem noſtram vel non declarare; eloqui, quae cogitamus aut volumus, vel non eloqui; ſincere vel minus ſincere mentem declarare; haec quidem per ſe et in vniuerſum conſiderata laeſionem non inuoluunt: et eatenus *a natura tibi in alterum non competit ius, nec alteri erga te incumbit obligatio, vt tibi mentem ſuam declaret, nec vt ſincere eam declaret.*

§. 91.

§. 91.

Aſt vero, ſi ponatur obligatio aliqua ad verum loquendum, quod in ſtatu aduentitio fieri poſſe monſtrabitur, quum hoc caſu ſilentium et falſiloquium euadat obligationis violatio; facillime perſpicitur, *eum qui ad verum loquendum obligatur, ſi tacet vel falſum loquitur, iniuſte agere.* Ergo generalius: *quicumque ad ſincere agendum obligatur, is, ſi haud agit ſincere, laedit.*

§. 92.

Falſiloquium doloſum dicitur MENDACIVM, ſilentium doloſum RETICENTIA. *Mendacium* itaque *et reticentia Iure Naturali ſimpliciter probibentur* §. praec. Et qui obligatur ad verum loquendum, ſi falſiloquium doloſum committit, eſt mendax; ſi tacet, conſcius ſibi ſui reatus, reticentiae reus eſt.

§. 93.

Sed nunc quaeritur, an et quatenus obligatio quaedam naturalis ad falſum non loquendum adſtrui poſſit, quae ſit perfecta et connata, hoc eſt, qua remoto ſtatu hominum hypothetico, et antequam

Digitized by Google

tequam facto quodam humano interueniente conſtituatur certa obligatio ad verum loquendum, ad homines vniuerſaliter pertineat? Ad hanc quaeſtionem vt reſpondeamus, praemittendum, quod *laeſioni aequipolleat laedendi animus* (intentio, propoſitum) *declaratus*, manifeſtatus ſcilicet facto externo, vt in foro humano de eo conſtare poſſit. Qui enim facto quodam declarat, ſe hoc intendere, vt alter priuetur eo, quod ſuum eſt; ei, tamquam laeſionem intentanti, vi iuris cuiusque in ſui conſeruationem et vi ſecuritatis reſiſtere atque vim opponere licet §. 133. et 134. Prol., atque igitur idem contra ipſum ius competit, quod quique aduerſus laedentem.

§. 94.

Quodſi itaque laedit, quicumque animum laedendi prodit; conſequitur, *vt laedat quicumque falſum loquitur eo animo, vt alter inductus ſpecie ſinceritatis* (actionis ſincerae) eo, quod ſuum eſt, priuetur: et conſequitur, *vt quilibet natura obligetur, ad falſiloquium ſub ſpecie veriloquii non committendum eo animo, vt alter priuetur eo quod ſuum eſt.* Ergo generalis: *omnis*

ſimula-

Digitized by Google

ſimulatio, *quae ſit animo laedendi* (*nocendi*, in eo ſcilicet, quod eſt ſuum alterius), *naturaliter illicita eſt.*

Atque *haec laeſio non poteſt non eſſe doloſa* §. 17. et 52, immo doloſa eſt gradu quodam exſtantiori, quod ſub velo amicitiae tegat animi iniuſtitiam, ideoque *tale falſiloquium ad mendacia pertinet* §. 92.

§. 95.

FALLIT alterum, qui verbis vel aliis factis alterum *in errorem inducit*, hoc eſt, vt pro vero habeat, quod non eſt; et *fallacia* (quibusdam dolus) eſt actio externa, qua quis fallere alterum intendit. Fallere alterum et fallacia vti non eſt ſimpliciter illicitum §. 90, vt ideo, qui fallit, vel fallere intendit, non ſemper iniuſte agat. Sed *qui animo laedendi fallit*, *immo qui hoc animo fallere velle* (intendere) *commonſtrat*, *laedit* §. *praec.* Actio externa, qua quis fallere alterum doloſe ſeu cum animo laedendi intendit, breuius, doloſa fallacia FRAVS dicitur. Ergo 1) omnis fraus eſt laeſio doloſa, 2) *qui mentitur*, *fraudem committit.* 3) *Si quis falſiloquio doloſo vel alia fraude alterius in errorem induci-*

Digitized by Google

inducitur, vnde detrimentum quoddam capit in eo, quod ſuum eſt; hoc malum ipſi proficiſcitur e laeſione doloſa fallentis, contra quem igiur laeſo competit ius indemnitatis et vltionis §. 55. et 57. 4) *Actio iniuſta commiſſiua* alia *eſt violenta*, alia *fraudulenta.*

TITVLVS V.

DE

IVRE CIRCA EXISTIMATIONEM.

Chriſtiani THOMASII diſſ. de *exiſtimatione, fama et Infamia extra rempublicam*. Hal. 1709.

§. 96.

EXISTIMATIO (ſama) alicuius *generaliter* ſumta conſiſtit in iudicio aliorum, quo ipſi perfectionem vel imperfectionem attribuunt; vnde exiſtimatio alia *bona*, alia *mala* eſt. Quum in bona exiſtimatione plura magnaque media, ſicut ex aduerſo in mala exiſtimatione plura magnaque

felicitatis

Digitized by Google

felicitatis immo conſeruationis noſtrae impedimenta ſita reperiantur: liquet, *homini* propter ius illud natura ipſi competens in ſui conſeruationem felicitatemque, *denegari aliquod ius circa exiſtimationem ſuam non poſſe.*

§. 97.

Et quidem repetendum hoc loco eſt, in foro externo neminem eſſe iniuſtum, niſi facti contra legem externam perpetrati reum, et quemlibet contra non-iniuſtum, eſſe iuſtum §. 116. Pr. et §. 52. Cui igitur violatio externae legis, hinc iuris alterius, vno verbo, laeſio imputari nequit, iuſtus eſt. Quare *a natura nemo eſt iniuſtus,* quin potius *quilibet naſcitur iuſtus,* et, *quoad neminem laeſerit, manet iuſtus.*

Quoniam homo iniuſtus cogi iuſte poteſt, atque ita alii non amplius obligantur ipſi tribuere quod ſuum eſt, quin potius ius nanſciſcuntur, illud ipſi non tribuere, eiusque corpus et ipſam vitam inuadere; quod ius primario competit laeſo §. 57, aliis vero etiam ſimul competere poteſt, vt ex §. 84. conſtat, et infra luculentius pateſcet: *non niſi iuſtus homo inſtructus eſt iis, iuribus,*

quae natura competunt cuique, et dignus qui his iuribus fruatur; ita vt reliqui homines obligentur, ipſum in vſu horum iurium non turbare, ideoque et agnoſcere iſtam obligationem ſibi incumbere, illa iura alteri competere, dignumque ideo illum eſſe, qui in vſu iurium ſuorum a nemine turbetur. Atque inde colligitur, *cuilibet natura competere ius non patiendi, vt ab altero declaretur tamquam iniuſtus.* Si enim obligarer hoc pati, obligarer agnoſcere ius alterius violentiam in me exercendi, agendique quae conſeruatio meae repugnant. At hoc ipſum vero libertati meae naturali, immo iuri illi in mei conſeruationem et ſecuritatem primario aduerſatur.

Ergo 1) *quilibet obligatur, neminem declarare tamquam iniuſtum, niſi qui iniuſtitiae reus eſt.* Conſequenter 2) *ſi quis actione quadam externa iudicare de alterius iuſtitia vel iniuſtitia vult, eum pro iuſto habere et declarere tenetur, donec neminem laeſerit; immo*, quod in foro externo aequipollet, *donec de alterius iniuſtitia conſtet*; conſtat vero mediante *probatione*, actu, quo veritas certa redditur §. 141. Prol. Quamobrem 3) *laedit alterum, qui eum, de quo*

quo nihil iniuſti probare poteſt, declarat iniuſtum, multo magis, qui hoc iudicium inter alios diuulgat.

§. 98.

Atque ita perſpicitur, in quo conſiſtat *ius in exiſtimationem iuſti viri* cuique natura competens, et quatenus *quilibet praeſumendus* ſit *iuſtus, donec nimirum probetur contrarium.* Vnde et actio quaelibet pro *iuſta* in foro externo habenda, non tantum ea, quae qua legi externae conformis vel certe qua licita probari poteſt, hoc eſt *ſenſu aiente* talis; ſed etiam, quae qua legi cuidam contraria ſeu illicita probari nequit, *ſenſu negante* talis.

§. 99.

Exiſtimatio bona, in quam cuique ius connatum competit, eſt ſpecies *exiſtimationis bonae moralis* §. 72. Pr., quippe iuſtitia alicuius eſt ſpecies *perfectionis moralis* §. 69. Pr. Sed haec perfectio moralis, quatenus conſiſtit tantum in mera iuſtitia externa, in conuenientia actionum cum obligatione naturali dumtaxat externa, longe minor eſt perfectione morali, quae in virtute

ponitur, et in conuenientia actionum cum obligatione ſimul interna conſiſtit: vnde illa *perfectio moralis*, vt et *exiſtimatio bona moralis* exinde enata, vocatur *ſimplex*; iſta *intenſiua*. Quamobrem *exiſtimatio bona, in quam cuique natura ius competit, eſt exiſtimatio bona moralis ſimplex dumtaxat, et poteſt eſſe exiſtimatio bona tantum negatiue talis*, cum in mera iniuſtitiae externae abſentia conſiſtere poſſit.

§. 100.

Quoniam vero omnium hominum a natura eadem ac aequalia ſunt iura §. 81, *etiam ius in exiſtimationem cuiusque ſuam eſt aequale*, atque eatenus *natura homines ſunt exiſtimatione aequales*, et omnibus aequalitas ratione exiſtimationis competit tamquam ius connatum.

§. 101.

Actus, quo quis perfectior aliis declaratur, ſeu perfectio alicuius maior ſignificatur, HONOR eſt; et ſpeciatim LAVS, ſi tale iudicium verbis exprimitur. Quoniam homines natura ſunt aequales exiſtimatione §. *praec.*: *nemo obligatur, ad*

ad agnoſcendum, ſignificandum, confitendum, *alterum ſe ipſo eſſe perfectiorem*, nec ideo *ad honorandum vel laudandum alterum*, hinc *nemini natura ius eſt, exigendi ab altero honorem, laudem*, nec ſignum qualecumque huc pertinens; *qui* ergo *exigit, ius aequalitatis et libertatis naturalis violat*; et *qualem honorem tu a me exigis, eundem vt tu mihi viciſſim exhibeas, iure repoſco* §. 82. Quatenus *praecedentia* §. 83. tamquam honor conſideratur, etiam hoc nomine *iuſte alteri denegari poteſt.*

§. 102.

Actus, quo quis imperfectior aliis declaratur, ſeu imperfectio alicuius maior ſignificatur, CONTEMTVS eſt; eſt ſpeciatim VITVPERIVM, ſi verbis exprimitur. *Quatenus contemtu ius alterius in ſui eximationem violatur*, hinc vel de exiſtimatione eius, qua iuſti viri, vel de aequalitate exiſtimationis detrahitur; *qui contemnit, laedit*. Ergo *qui alterius factum aliquod iniuſtum eſſe ſignificat, quod tamquam iniuſtum probare nequit, qui ipſum declarat iniuſtum, vel indignum exiſtimatione bona ſimplici aut exiſtimatione ae-*

quali, qui honorem et laudem ab altero exigit; eius contemtus eſt iniuſtus. Et eatenus *nemo eſt contemnendus.*

§. 103.

Laeſio doloſa exiſtimationis bonae alterius eſt INIVRIA *ſtricte* dicta (conf. §. 50.): VERBALIS, quae verbis; REALIS, quae alio facto ſignificatur, Quamobrem *nemo eſt iniuriandus.*

§. 104.

Summus ſpecie gradus exiſtimationis malae eſt INFAMIA. Oritur infamia ex factis, quae habitum intenſiorem violandi officia naturalia externa commonſtrant, atque hinc dicuntur facta infamantia. *Nemo* itaque *naſcitur infamis, et qui virum iuſtum declarat infamem, aut factum infamans ipſi imputat, eum maximopere laedit atque iniuriat.*

Infamia ad exiſtimationem malam moralem pertinet, quippe habitus violandi officia naturalia externa eſt ſpecies *inperfectionis moralis* §. 72. et 69. Pr. Atque haec imperfectio moralis, quae in pugna actionum cum obligationi naturali externa conſiſtit, maior eſt ea, quae in mera ab-

abſentia virtutis ponitur, atque pugnam actionum cum obligatione naturali dumtaxat interna inuoluit: vnde prior *imperfectio moralis*, vt et *exiſtimatio mala moralis* exinde orta, vocatur *intenſiua*; poſterior *ſimplex*.

§. 105.

EXISTIMATIO bona alicuius eſt MERITA, quae e perfectione eiusdem vera naſcitur. Quoniam omne factum, quo animus laedendi proditur, ad laeſiones pertinet §. 93, *is laedere atque iniuriare alterum intelligitur, qui eius exiſtimationi bonae meritae, bonori merito, laudi meritae, animo laedendi detrahit.* Ergo 1) *qui hoc animo falſa* (iuridice talia, quae ſcilicet probari aliis non poſſunt) *in vulgus ſpargit, ſeu* verae perfectioni alterius contradicendo, OBTRECTANDO, *ſeu* falſam imperfectionem ipſi attribuendo, CALVMNIANDO; *alterum iniuriat.* 2) *Obtrectatio et calumnia mendacium inuoluunt* §. 92, *aut certe* in foro externo *pro eo habentur.* 3) *Omnis contemtus, qui fit animo laedendi,* quo de alterius exiſtimatione bona merita hac intentione detrahitur, quo obtrectatio

Digitized by Google

vel calumnia continetur, vt et 4) *omnis actus, quo animus iniuriandi declaratur; iniuriis* (ſtricte dictis) *eſt accenſendus.*

TITVLVS VI.

DE IVRE CIRCA RES.

§. 106.

RES EXTERNAE, hoc eſt entia corporalia extra nos poſita, ſeu ſubſtantiae extra nos poſitae, ſenſu externo perceptibiles, dicuntur in *ſenſu iuridico* ſimpliciter RES (interdum res corporales), atque ideo *res* opponuntur *perſonis.* *Homani* vi obligationis internae competit natura facultas moralis in vſum rerum ad explenda officia naturalia neceſſarium §. 88. Prol.; vi autem libertatis naturalis *competit ius rebus in hoc orbe terrarum proſtantibus vtendi, quatenus ex earum vſu nemo*

laedi-

Digitized by Google

laeditur §. 64. Atque ideo *hoc ius competit cuique tamquam ius externum naturale et connatum* §.

§. 107.

Res et generalius ea, quae ſtatum noſtrum externum perficere poſſunt, dicuntur pertinere AD VITAE NECESSARIA (neceſſitatem), ſine quibus vita vel corpus conſeruari nequit; ad vitae COMMODA (commoditatem), ſine quibus vita cum moleſtia (taedio) quadam tranſigitur; ad vitae IVCVNDA (iucunditatem), quorum ope cum maiori voluptate vita tranſigitur.

Homini natura competit ius agendi, quaecumque ipſum atque ſtatum eius externum perficere poſſunt §. 77, quod ius vi libertatis naturalis exercere poteſt pro lubitu, ideoque *ius ipſi eſt connatum, ſibi procurandi bona ſtatus externi quaelibet*, et *ius rebus vtendi quibuslibet, ad neceſſaria, commoda et iucunda vitae pertinentibus, iisque vtendi in vitae ſuae neceſſitatem, commoditatem et iucunditatem quamlibet* dummodo nemo inde laedatur §. 64.

§. 108.

Digitized by Google

§. 108.

Pone Caium et Titium aduentare in regionem a nemine hactenus habitatam, vbi variae RES proſtant VACVAE (bona vacantia), i. e. quibus nemo hominum adhuc vſus eſt: et Caio et Titio ius competit, his rebus vtendi, quod ius vtriusque eſt connatum §. 106. atque idem ſeu aequale §. 81, vt adeo nec Titio nec Caio harum rerum competat proprietas §. 54. Quamobrem *a natura* (in ſtatu originario, antequam homines rebus proſtantibus vtantur), *non datur res propria nec aliena* §. 53. Res nemini hominum propria eſt RES NVLLIVS. Itaque *a natura res omnes nullius eſſe* conſtat. Nemini rerum connaſcitur proprietas. A natura vſus rerum omnibus patet, proprietas nemini competit. Atque ita intelligitur, in quo conſiſtat *ius*, *quod* ex quorumdam opinione *omnibus in omnia competit a natura*.

LIB.

LIBRI I.

IVRIS NATVRALIS

SECTIO II.

IVS NATVRALE HYPOTHETICVM.

§. 109.

IVS NATVRALE HYPOTHETICVM eſt ſcientia legum naturalium in ſtatu naturali aduentitio ſtricte d. obſeruandarum §. 62. Ergo docet iura atque obligationes mere naturales, quae demum poſito facto iuridico concipi poſſunt, cuius generis IVRA atque OBLIGATIONES MERE NATVRALES vocantur HYPOTHETICAE (aduentitiae); ſpeciatimque tradit ea iura hypothetica atque eas obligationes hypotheticas, quae ex *facto iuſto* promanant; determinatque SVVM MERE NATVRALE ſtatus aduentitii, ADQVISITVM; et OFFICIA MERE NATVRALIA eiusdem ſtatus, HYPOTHETICA, ſpeciatimque illud ſuum hypotheticum atque illa officia hypothetica, quae ſine poſito facto iniuſto ſeu remota laeſione concipi poſſunt §. 61. 62.

TITV-

Digitized by Google

TITVLVS I.

DE

OCCVPATIONE.

Aug LEYSERI diſſ. *de iure priuatorum circa occupationem*, Helmſt. 1727. et in *Eiusdem* meditt. ad Pandectas, Vol. VII. ſpec. 439. pag. 1.

§. 110.

Stabiliuimus ius cuiusque connatum rebus vacuis vtendi §. 106. Pone iam facta Caii circa rem vacuam.

1) Incipit re quadam vacua *vti* ex gr. ad ſeſe nutriendum; iuſte vtitur.

2) incipit ea vti ita, vt Titius ſimul ab eius vſu *excludatur*;

3) vult ea vti excluſo Titio *donec vtitur*;

4) vult finito vſu eamdem *retenire* ſeu adſeruare ſibi excluſio Titio in vſus futuros: et iuſte excludit, et iuſte vult excludere donec vtitur, immo et iuſte vult rem talem retinere; quoniam res vacua eſt res nullius, atque ideo his actibus Titio

Titio non aufertur quod ſuum eſt, et Caius haec velle poteſt ſine laeſione Titii.

Ergo Titius ſtare huic Caii tenetur voluntati §. 80, conſequenter eripere Caio eam rem nequit, ſimul atque ipſi de eadem conſtat, ideoque hoc caſu res ea ſit ſuum §. 53. Caii, et res ipſi propria §. 54, quoad fieri poteſt.

§. 111.

En geneſin, qua res, quae ab origine vacua et nullius eſt, res cuiusdam propria fieri legaliter, ſeu nulla obſtante lege naturali, poteſt: dum quidam re tali incipit vti cum aliorum excluſione, et vult eam retinere cum aliorum excluſione. Simul atque hanc eius voluntatem alii cognoſcunt, ipſis ex facto et voluntate alterius oritur obligatio, ſe abſtinendi a re tali: quippe nunc non amplius eſt res nullius, ſed propria ei, qui tale factum commiſit.

§. 112.

Inde colligitur propoſitio generalis: *qui factum committit, quo vult et poteſt adquirere* (phyſice et legaliter); ille *adquirit*, ſeu *qui fa-*

ctum

Digitized by Google

ctum committit, quo vult et *phyſice poteſt adquirere*, et *habet ius hoc factum committendi;* adquirit.

* Vlterior ratio huius theſis ex Pſychologia peti poteſt, in qua demonſtrat, quod *omne mentis decretum fiat efficiens, niſi obſtiterit impedimentum*, breuius; *quidquid volo* (plene) *et poſſum: id fit.* Cogitantur vero in ſphraera Philoſophiae Practicae, et in omni ſphaera Iuris *impedimenta* non tantum vt *phyſica;* ſed etiam vt *moralia*, et in Iure Externo vt *legalia*, itemque *poſſibilitas* tum qua *phyſica* tum qua *moralis* et *legalis* §. 114. Prol. et 49. h.

§. 113.

Qui rem in eum ſtatum redigit, quo eius vſum cum aliorum excluſione in poteſtate ſua habet, ſeu qui rem redigit in poteſtatem ſuam cum aliorum excluſione (ſubiicit potentiae ſuae excluſiuae), REM APPREHENDIT. Apprehenſio rei nullius cum animo (voluntate), eam efficiendi ſuam (ſibi propriam habendi), eſt OCCVPATIO. Ergo *res nullius cedit* (adquiritur) *occupandi*, hoc eſt fit occupantis ſuum, *quoad fieri poteſt*

poteſt §. 110, ideoque res occupata eſt ſuum adquiſitum §. 109. Confirmatur haec aſſertio in quibusdam caſibus ex ipſo omnium iurium perfectorum, qua moralium fonte, *iure* ſcilicet *in ſuae vitae conſeruationem* et *ſecuritatem*, atque *facultate morali in vſum rerum neceſſarium*; in reliquis ſuſtinetur *vi libertatis naturalis*, certa *qua iure externo.* Neque vltra ſtatuimus rem nullius fieri occupantis, niſi *quatenus fieri poteſt*, miſſum nempe factis hac §., vbi totum occupationis negotium per ſe et ſimpliciter conſideratur, et excluſis omnibus circumſtantiis, quae dato caſu impedire hunc *naturalem occupationis effectum* phyſice vel legaliter poſſunt.

§. 114.

Vt occupatione adquiratur, neceſſe eſt, vt in dato caſu occupatio et ſit *poſſibiles* et *exiſtat.*

Vt ſit *poſſibiles*

1) *phyſice*, requiritur res, quae in poteſtatem redigi cum excluſione aliorum phyſice poteſt, RES APPREHENSIBILIS; ergo vt occupaturo ſit facultas phyſica, talem rem apprehendendi. Ergo a) quidquid non eſt res (corporalis) §. 106, id

id occupari nequit; b) res, circa quam excluſio aliorum eſt phyſice impoſſibilis (*excluſionis, defenſionis neſcia*), quum ſit inapprehenſibilis, eſt etiam inoccupabillis, ex. gr. mare vaſtum. Ceterum et res ſingula, et complexus rerum in certo ſpatio exiſtentium, et quantum rei certo ſpatio incluſum occupari poteſt. Vt ſit *poſſibilis* occupatio

2) *legaliter*. requiritur, vt actio, qua aliquid hoc animo apprehenditur, non ſit iniuſta §. 52; ergo vt occupaturo competat facultas legalis adquirendi et *ius occupandi* §. 94. Itaque alienae rei vel hominis apprehenſio, animo occupandi facta, non tantum non eſt occupatio, ſed ſimul laeſio eius, cuius res eſt, vel cuius libertas naturalis violatur.

§. 115.

Vt *exiſtat* occupatio, requiritur, 1) *apprehenſio*, hinc factum, quo quis rem redigit cum aliorum excluſione in ſuam poteſtatem, et tale quidem, de quo aliis conſtare poteſt, quale factum non cogitari poteſt niſi tamquam commiſſiuum ac externum (corporale); et 2) *animus* rem apprehenſam ſibi habendi propriam.

Vnde

Vnde 1) nec ſola voluntas aut voluntatis declaratio nude verbalis §. 88; 2) nec ſolum factum apprehenſionis citra animum et intentionem, rem mihi propriam habendi, efficit rem, quae eſt nullius, mihi propriam. 3) Alia tamen declaratione, quam ipſa rei apprehenſione, quae tamquam tacita declaratio §. 88. ſufficit, opus non eſt: quum ad peculiarem declarationem occupans non obligetur, cuius quippe in determinandis ſuis actionibus iuſtis vi libertatis naturalis ſtandum eſt iudicio §. 76.

§. 116.

A natura res omnes ſunt nullius, ergo dici nequeunt communes §. 54. Nec *ius, quod tibi cum omnibus promiſcue hominibus a natura eſt idem, rebus vacuis vtendi*, eſt ius excludendi alios ab vſu eius, quod eſt tuum (quum res vacua non ſit tua, ſed nullius), ideoque *nec eſt proprietas nec communio* §. 54. Porro vt rem nullius meam faciam, ſufficit occupatio mea §. 113, ergo *non neceſſe eſt, vt, quo legitime ex re nullius fiat mea, accedat adbuc reliquorum hominum voluntas.*

Bayerische Staatsbibliothek

* Qui *accedente* demum reliquorum hominum *voluntate* (*conſenſu* et *pacto*, de quibus infra) iuſte introductam rerum proprietatem cenſent: vera iura colligunt ex *figmento*. Fingunt ſcilicet actum, quo omnes homines conſenſerunt, vt quod quisque occuparet, ipſi eſſe debeat proprium. Atque huic hypotheſi imaginariae anſam praebuit error, quod *qui rem vacam occuparet inuitis reliquis hominibus, ius* eorumdem *connatum*, rebus proſtantibus aeque vtendi, *violaret*.

Sed haec opinio, e confuſione *iuris vtendi rebus vacuis* cum iure vtendi *re* quadam *propria* promanans, facile refellitur, ſi ad differentiam vtriusque iuris attendatur. Ius re propria vtendi, quod eſt *ius adquiſitum* §. 113, eſt ius *certae rei*, illi ſcilicet quae adquiſita eſt, *adhaerens*, et *certae perſonae inhaerens* ſeu *ius ſingulare* eius, qui facto quodam ſuo iuſto effecit, vt hoc ius ipſi competat: ius e contrario rebus vacuis vtendi, quod eſt *ius connatum* §. 106, eſt ius *certae rei non adhaerens*, ſed promiſcue datur in rem quamlibet indeterminatam, modo vacuam, et *ius vniuerſale* et *certae perſonae non inhaerens*, omnibus nempe vi libertatis naturalis competens.

Atque hoc ius poſterius, quod eſt conſectarium iuris connati, ad agenda quaelibet, quae non

Digitized by Google

non ſunt iniuſta, hunc dumtaxat habet effe-ctum, vt *nemo me impedire poſſit* in vſu rerum vacuarum; quum ex aduerſo ius prius ſimul et eum habeat effectum, vt *ego etiam alios* ex-cludere, conſequenter et *impedire* poſſim in vſu rei mihi propriae. Ergo laedit, qui rem alienam apprehendit; contra, qui rem vacuam apprehendit atque occupat, is iuſte agit, quip-pe ius ſuum connatum ea ratione, quae non eſt iniuſta, exercet.

Si ius tuum connatum rebus vacuis vtendi cogitares vt tale, ad quod exercendum requi-ritur conſenſus aliorum: his competeret ius te excludendi ab vſu rerum vacuarum, ergo com-peteret proprietas rerum vacuarum, quod eſt contra §. 108; immo *ius tibi competens* rebus vacuis vtendi non eſſet ius, quippe citra acce-dentem aliorum conſenſum foret aliquid pror-ſus inutile §. 124. Pr.

Ceterum ex hac opinione falſa enata eſt GROTII *communio primaeua*, quam ſumit tamquam *poſitiuam*, hoc eſt tamquam pro-prietatem omnibus in omnia natura competen-tem; poſt vero PVFENDORFFII communio primaeua, quam ſpectat tamquam *negatiuam*, hoc eſt tamquam ius promiſcue omnibus in omnes res natura competens, ſed ita, vt omnes res ſint nullius. Licet vero no-

Digitized by Google

tione differant hae opiniones, tamen et Grotius et Pufendorffius in eumdem, e ſuo quisque conceptu, abripiuntur errorem, quaſi ius aliorum violaret, et *turbator communionis primaeuae* foret, qui aliis inuitis rem quamdam vacuam ſibi propriam reddere vellet. Hinc vt ſaluaretur occupationis iuſtitia effingendus ipſis erat conſenſus generis humani in occupationem, qui tamen nec exſtitit vmquam, nec vt ſumatur neceſſe eſt.

Atque ita ſimul corruit corollarium huius opinionis, quod iidem appellunt *communionis primaeuae reſiduum*, quodque quaerunt 1) in *iure innoxiae vtilitatis ex alienis rebus percipiendae*, et 2) in *iure*, *res neceſſarias in extrema neceſſitate proprietario auferendi.* Poſterior caſus ad fauorem neceſſitatis ſine dubio pertinet §. 58. Vt vero ex re mea alteri innoxiam permittam vtilitatem, charitatis non neceſſitatis eſt officium §. 136. et 144. Pr.

§. 117.

Occupans rem nullius adquirit, et adquiſitio rei nullius eſt occupantis finis §. 113; conſequenter *occupatio eſt medium adquiſitionis ſufficiens*, quod dicitur MODVS ADQVIRENDI, et qui-

Digitized by Google

quidem *iuſtum* (legitimum) §. 110., alias occupatio eſſet legaliter impoſſibilis §. 114, ideoque effectum iuris, qui occupando intenditur, non produceret, nec conſequenter foret modus adquirendi.

Attamen in occupationis notione *iuſtitia facti*, quo occupatur, ſeparatim cogitari et diſtingui *ab ipſa occupatione* poteſt, tamquam pars a toto; et generalius in conceptu modi adquirendi idealiter ſeparari poteſt *iuſtitia medii*, quo adquiritur, ab ipſo *medio adquiſitionis ſufficienti*.

Ratio, ex qua intelligitur iuſtitia modi adquirendi, eſt TITVLVS adquiſitionis; atque ideo titulus inuoluit *rationem legalem* (ex lege petitam), et titulus eſt etiam ratio, ex qua perſpicitur ipſius adquiſitionis iuſtitia. 1) *Differt* igitur *modus adquirendi ab eius titulo ita, vt adquiſitionis exiſtentia in vniuerſum ex illo, ex hoc* vero ſingulatim *iuſtitia adquiſitionis determinetur.* 2) *Sine titulo* ergo *modus adquirendi non datur.* 3) *Occupantis titulus* fundatur in iure *occupandi ipſi connato* §. 106. 110.

Vnde ſimul et illud clarum ſit, *occupationem eſſe* ACTVM VALIDVM (*legitimum*), h. e. fa-

ctum iuridicum §. 62. iuſtum, quo facientis finis obtinetur, quodque ideo, ſicut omnem actum alicuius validum, etiam tamquam iuſtum et validum alii iudicare obligantur §. 98.

Vt aliquid adquiratur ſeu fiat ſuum alicuius adquiſitum, requiritur praeter ius adquirendi cuilibet connatum quaedam hypotheſis ſeu certus *euentus*; alias res nullius eſſet ſuum connatum. Hic euentus, quod ad occupationem, deprehenditur in facto, quo occupatur. Huius facti *effectus* eſt adquiſitio, ergo ipſa *occupatio* eſt *cauſſa* adquiſitionis *immediata*, quae tamen, vt effectum ſortiatur iuridicum, inniti debet iuri occupandi. Hinc ICti Romani generatim MODVM ADQVIRENDI appellant adquiſitionis *cauſſam proximam*; TITVLVM vero adquiſitionis *cauſſam remotam*.

§. 118.

(Modus adquirendi rem alienam appellatur MODVS ADQVIRENDI REM DERIVATIVVS (ſecundarius); non-alienam, ORIGINARIVS (primitiuus). *Occupatio* eſt modus adquirendi rem nullius, ergo eſt *modus rem adquirendi originarius*.

§. 119.

Digitized by Google

§. 119.

Res a Caio occupata ſit reſpectu Titii aliena, quam conſequenter apprehendere Titius amplius nequit, et ſi apprehendere audet, Caium laedit. Ergo *in occupando, qui tempore eſt prior, iure eſt potior.*

* Hoc principium Iuris Naturalis circa occupationem: *tempore prior eſt iure potior*, extendi poteſt ad omnes caſus vbi 1) plures gaudent eodem iure agendi circa aliquod obiectum, et 2) exercitium iuris vnius reddit quomodocumque impoſſibile exercitium iuris alterius. Alias enim, qui iure tali vteretur, a reliquis impediri continuo poſſet, quo minus vtatur, ideoque exercitium iuris eiusmodi eſſet ſine omni effectu, et conſequenter ius cuiuslibet eſſet plane inutile, hoc eſt non eſſet ius §. 124. pr.

§. 120.

POSSIDET REM NATVRALITER (in genere), qui vſum rei in poteſtate ſua habet cum aliorum excluſione; IVRIDICE (in ſpecie), qui vſum rei, quam vult eſſe ſuam, in poteſtate ſua habet cum aliorum excluſione, ſeu poſſidet

iuridice, qui rem poſſidet cum animo eam ſibi propriam habendi. Quoniam igitur occupans incipit vſum rei occupatae habere cum aliorum excluſione in poteſtate ſua; *occupans fit rei occupatae poſſeſſor* non tantum naturaliter, ſed etiam *iuridice talis* et quidem *iuſtus*. Apprehenſio eſt initium, et poſſeſſio perduratio ſtatus, quo quis rem habet in poteſtate ſua cum aliorum excluſione, ſeu quo quis habet facultatem phyſicam, re vtendi cum aliorum excluſione. Patet hinc etiam, *poſſeſſionem rei ſe habere ad rei proprietatem, vti facultas phyſica ad facultatem legalem.* Occupanti in *rem occupatam*, immo cuilibet in *rem ſuam* competit *ius poſſidendi proprium*, et *nemo in poſſeſſione rei ſuae* eſt *turbandus*.

* Qui igitur rem potentiae ſuae vtendi aliis excluſis ſubiectam quidem habet, ſed eam vel tamquam alienam conſiderat, vel ſaltim non vult eſſe ſuam; iuridice non poſſidet, poſſeſſio non iuridica ſeu nude naturalis vocari ſolet DETENTIO.

** Etiam *abſens* poſſidet rem, quatenus adhuc alios tenet a re excluſos, et pro lubitu ſuo per alium actus poſſeſſorios exercere poteſt.

*** Di-

*** Dicitur etiam *ius poſſideri* (quaſi - poſſideri) ab illo, qui in exercitio actionis cuiusdam, in quam exercendam ſibi ius eſſe vult, ab altero non impeditur. Ergo cui *ius quoddam competit*, compedit etiam *ius illud poſſidendi*, et *nemo in poſſeſſione iuris ſui* (τȣ ſuum) *turbandus* eſt.

§. 121.

Res occupata manet occupanti propria quoad iuſte vult §. 81, ſeu quamdiu animum eam ſibi propriam habendi retinet. *Licet* itaque *poſſeſſio interrumpatur; proprietas tamen rei et ius in rem quaeſitum ſolo animo retineri poteſt.*

Gottlieb Gerh. Titii diſſ. de *dominio in rebus occupatis vltra poſſeſſionem durante*, Lipſ. 1674. et inter diſſ. Titianus p. 316 - 349.

§. 122.

Occupatio efficit, vt occupanti in rem occupatam adquiratur ius proprium, conſequenter reliquis ſimul naſcatur obligatio, a re ab altero occupata ſeſe abſtinendi §. 57. Ergo *occupatio et introductio proprietatis rerum efficit hominum*

iura ac obligationes diuerſas, et eatenus tollit aequalitatem naturalem latius dictam §. 81, quum tollat ſtatum originarium.

Et quoniam ius in rem occupatam, immo omne ius proprium in certam rem eſt ius hypotheticum §. 106. et §. 109, hinc et *obligatio*, vi *cuius alteri cuique res ſua et ius quodcumque in rem ſuam eſt tribuendum*, *eſt hypothetica*. Ergo *facto* alicuius *legitimo aliis obligatio conſtitui poteſt*, *certe negatiua*, ad ommittendum, quod omittere adhuc non tenebantur.

Diſcours ſur l'origine et les fondemens de l'Inégalité parmi les hommes p. Jean Jaques ROUSSEAU (Amſterdam 1755. 8. Germanice verſum Berolin. 1756. 8.), IIde partie, pag. 95. ſeq.

§. 123.

Res ſunt vel *animatae* (animalia, bruta, res *ſeſe mouentes* h. e. quae ſponte ſua ſeſe de loco in locum mouere poſſunt), vel *inanimatae*; porro ſunt vel RES MOBILES, quae ſalua ſubſtantia de loco in locum moueri poſſunt (quo et referri ſolent in Iure Rom. *res ſeſe mouentes*), vel

IMMOBILES, quae ſalua ſubſtantia de loco in locum moueri nequeunt. *Quaelibet res, animata vel inanimata, mobilis vel immobilis, quatenus eſt res nullius et apprehenſibilis, eſt etiam occupabilis* §. 114. *et cedit occupanti* §. 114.

Species occupationis rerum animatarum eſt VENATIO, ferarum (terreſtrium); PISCATIO, piſcium (aquatilium); AVCVPIVM, auium (volatilium) occupatio. Sumitur tamen *venatio* et latiori ſignificatu, quo piſcationem et aucupium ſimul comprehendit.

* *Ferae* et *piſces*, ſimul atque retibus poſitis aut aliis inſtrumentis quocumque modo collocatis ita detinentur, vt aufugere nequeant, ſunt occupati.

Fera, quae ſclopeto iacet proſtrata, vel ita vulneratur aut laſſatur, vt effugere nequeat, ſit *praeda* (ſuum) venatoris.

E contrario fera, quam fugientem quis proſequitur, quatenus adhuc effugere poteſt, necdum eſt occupata, quia nondum potentiae vtendi eſt ſubiecta §. 113; ideoque alteri eam intercipiendi et ſibi occupandi ius nondum ademtum.

** Ceterum an ferae, piſces aliaeue res ſeſe mouentes in *laxiori*, aut *arctiori* teneantur

tur *cuſtodia*, id quidem diſcrimen Iure Naturali non attenditur: quum modus occupandi a nemine occupandi praeſcribendus, quin potius iudicio huius ſit relinquendus §. 115.

§. 124.

Res adhuc nullius, ſimul atque intelligitur ab altero naturaliter poſſideri, pro occupata et re aliena babenda eſt, *niſi conſtet de animo contrario*: quoniam ad occupationem ſufficit declaratio tacita, quae facto apprehenſionis continetur, et in hoc ſtandum eſt voluntati apprehendentis §. 115. Ergo et *res adhuc nullius, quae ad meliorem vſum a quodam praeparatur, et fundus, qui limitibus circumſcribitur vel colitur, pro occupato cenſendus eſt.*

Et generatim factum, quo apprehenditur res nullius, poteſt cum aliquo labore et induſtria, eſſe coniunctum; ideoque *labor*, *induſtria*, *cultura terrae*, et id genus alia *poſſunt eſſe occupatio*, et eſſe *modus adquirendi*.

* De *labore*, qua modo adquirendi originario, confer LOCKE du Gouvernement Civil (traduit de l'Anglois, Bruxelles 1749. 12.)

Digitized by Google

12.) chap. IV. *de la proprieté des choſes* p. 32. ſeq.; et Paulli Iacobi MARPEGERI diſſ. *de acquiſitione dominii originaria in ſtatu naturae*, Lipſ. 1741.

TITVLVS II.

DE

OCCVPATIONE PVTATIVA.

§. 125.

Quum vires hominis ſint finitae, atque ideo homo multa ignoret, vnde plures eius errores et falſa iudicia profluunt: accidit frequenter, vt agat, quae, niſi aliquid ignoraſſet (quo et pertinet niſi erraſſet, quippe error eſt ignorantia duplicata), non egiſſet, quales eius actiones vocantur *actiones ex ignorantia* (vel etiam ſpeciatim *ex errore*) perpetratae §. 37. Pr.; atque ita etiam contingit interdum, vt actio ex ignorantia vel errore ſuſcepta ſit iniuſta, ſeu vt quis inſcius vel errans alterum laedat.

§. 116.

Digitized by Google

§. 126.

Factum illicitum ex ignorantia inuincibili perpetratum imputari facienti nequit §. 16, hinc nec factum ex ignorantia inuincibili petratum iniuſtum laedenti eſt imputabile. Praeterea vero factum iniuſtum, ex ignoratione eius, ad quod ſciendum aliquis generatim non tenetur, imputari ipſi nequit §. 35. Pr. Ergo factum iniuſtum vtriusque generis eſt factum inculpabile et laeſio non imputabilis §. 52. Breuius: *ſine culpa* (ſine reatu) *ignorantur, quae quis ſcire vel phyſice nequit, vel generatim non obligatur* §. 37. Pr.

§. 127.

Immo quum 1) nemo obligetur ſcire ea, quae ſcire phyſice nequit §. 16. Pr. et 8, et 2) officium illud, ad deponendam ignorantiam depellendosque errores atque ad rerum ſcientiam ſibi adquirendam, non pertineat ad obligationes connatas §. 39.; ſequitur, vt *cuique natura ius ſit ea ignorandi, quae ſcire vel phyſice nequit, vel generatim ſcire non obligatur*, atque ideo *ius quoddam ea ignorandi, quae ſine culpa ignorat.*

Ergo

Digitized by Google

Ergo multa iuſte ignorantur, et *datur aliquod ius ignorandi* et *errandi connatum:* externum puta, quum verſemur in ſphaera Iuris Externi. Atque eatenus etiam adſtrui poteſt *ius* ad eas *actiones*, quae *ex ignorantia* et *errore inculpabili* aguntur; vnde patet, dari quoque *ius*, natura cuique competens, *ea tamquam iuſta agendi, quae, quod iniuſta ſint, ſine culpa ignorat.*

§. 128.

Quoniam vero ius agendi eius, qui ex ignorantia inculpabili alterum laedit, nititur ſola ignorantia; *ſublata tali ignorantia tollitur etiam ius talia facta iniuſta tamquam iuſta agendi*, ideoque *hoc ius vltra ignorantiam non perdurat*, *et ea remota ſimul tollitur:* Ita vt, quod hactenus tamquam iniuſte actum ipſi imputari non potuit, nunc, ſi idem agere pergeret, tamquam laeſio doloſa poſſit imputari.

§. 129.

BONA FIDE agit, qui, quod iniuſte agit, iniuſtum eſſe ſine culpa ignorat; ex aduerſo MALA

FIDE

Digitized by Google

FIDE agit, qui, quod iniuſte agit, iniuſtum eſſe nouit (aut certe culpoſe ignorat). Vnde BONAE FIDEI POSESSOR eſt, qui rem alienam poſſidens eam alienam eſſe ſine culpa ignorat; MALAE contra FIDEI POSESSOR eſt, ſi eam alienam eſſe norit (vel ſaltim in culpa ſit, quod ignorat).

§. 130.

Qui bona fide agit, eius actio 1) *reſpectu alterius*, cuius ius violatur, eſt laeſio, ſed laeſio inculpabilis et non imputabilis §. 126, 2) reſpectu *ſui ipſius*, tum quoad eius cognitionem, tum quoad eius ius ignorandi eſt actio iuſta, in quam ipſi ius eſt §. 127. Eatenus *bona fides aequipollet veritati*, et *bona fides tantumdem praeſtat poſſidenti, quantum veritas.*

Sed hoc ius, ceſſante eius ignorantia ceſſat, ita vt, ſi nunc ſciens ſe iniuſte agere, idem porro agere vellet, quod hactenus bona fide egit, inciperet agere ſine iure, laedere culpabiliter immo doloſe, atque ita eius bona fides in malam fidem abiret §. praec. et 128. Quum itaque ceſſante tali ignorantia ceſſet etiam bona fides et in malam

malam fidem abeat; nec ius bona fide agendi vltra ipſum ignorationem perdurabit, quin potius, quod iure adhuc actum, nunc in laeſionem doloſam conuertetur. Ergo ius *agendi*, *quae bona fide aguntur*, *ceſſat ſimul atque de veritate contrarii agenti conſtat*, ſiue id fiat probatione alterius, ſiue alio modo. *Bona fides aequipollet veritati*, *donec conſtet de falſitate.*

§. 131.

Si quis rem alienam, *quam alienam eſſe ſine culpa ignorat*, *atque hinc rem eſſe nullius iudicat*, *apprehendit cum animo*, *eam ſibi habendi propriam*; *is*, vi iuris ignorandi §. 127., et bona fide agendi §. 129., *eam tamquam rem occupatam et ſuam ſpectandi ius habet*, *donec ipſi conſtet*, *ad quem res ea pertineat*, et eſt bonae fidei poſſeſſor §. 129. donec proprietarius appareat ipſique fiat cognitus.

§. 132.

Et tale factum apprehenſionis rei alienae non quidem eſt occupatio, ipſi tamen aſſimilatur quam proxime, *habetque*, *donec contrarii veritas mani-*

nifeſtetur, eumdem cum occupatione vera eſſe-ctum. Hinc vocari poteſt OCCVPATIO PVTATIVA (quod occupans *putat* rem eſſe nullius, hoc eſt, pro vero habet ex iuſta ignorantia, quod non eſt, item occupatio vel quaſi ſeu quaſioccupatio).

Atque hinc generatim concipitur MODVS ADQVIRENDI PVTATIVVS (vel quaſi), quatenus quis medium, quo adquirere intendit, iniuſtum eſſe ſine culpa ignorat, vti et *titulus putatiuus*, *adquiſitio putatiua*, *ius putatiuum*, *proprietas putatiua* et *ſuum putatiuum.* Haec omnia nempe talia dicuntur, quatenus *bona fide* pro talibus habentur,

§. 133.

Apprehenſio rei hactenus latentis dicitur INVENTIO (acceptione *iuridica*). *Inuentio rei cum animo eam ſibi propriam habendi,* 1) *ſi res eſt nullius; euadit occupatio* §. 113: ſi vero 2) *res aliena, quam alienam eſſe inuentor ſine culpa ignorat; eſt occupatio putatiua*, quae efficit, vt inuentor rem adquirat putatiue, et fiat bonae fidei poſſeſſor §. 132. et 130: ſi tandem 3) *res*

Digitized by Google

res aliena, *quam alienam eſſe nouit inuentor*; *eſt laeſio culpabilis* et efficit, vt inuentor fiat malae fidei poſſeſſor §. 130. Atque huc referri debet etiam inuentor rei alienae, qui eam alienam eſſe ignorat quidem, culpoſe tamen; ſed laeſio eius eſt minor, quam illius, qui rem eſſe alienam nouit.

§. 134.

Applicari haec poſſunt ad *rerum iactarum* ſeu abiectarum, *relictarum*, *amiſſarum*, *naufragarum*, *theſauri absconditi* inuentionem. Quatenus Caius, qui iecit, reliquit, amiſit rem ſuam, naufragium paſſus eſt, theſaurum depoſuit; vult eas res ſibi manere proprias: eae res manent Caio propriae animo, licet poſſeſſio earum interrumpatur §. 121. Interim tamen Titius harum rerum inuentor, ſi eas bona fide pro rebus nullius habens, cum animo efficiendi ſuas apprehendit; eas putatiue adquirit, et iure tamquam ſuas poſſidet, donec cognoſcat, ad quem res iſtae iactae, amiſſae, naufragae vel theſaurus abſconditus pertineant.

Digitized by Google

§. 135.

Quod *ſi hoc caſu laeſus* i. e. is, qui tales res ſunt propriae, *ſuſcipit probationem iuris ſui, laedens eam admittere obligatur.* Quum enim ius laeſi in ſuum ab altero detentem complectatur etiam ius efficiendi, vt alter ab eo abſtineat §. 53; clarum eſt, ex hoc iure in finem ipſi ius oriri in eius remedium neceſſarium, quod in hoc caſu eſt probatio ſeu actus, quo probat, talem rem ab altero apprehenſam et detentam ſibi eſſe propriam.

TITVLVS III.

DE DOMINIO.

Chriſtiani THOMASII diſſ. *de dominio eiusque natura*, Halae 1730.

Daniel MAICHELII diſſ. *de genuina dominii notione, deque eius diuerſis adquirendi modis praeſertim deriuatiuis*, Tubing. 1740.

§. 136.

Pone rem quamdam eſſe meam et mihi propriam: competit mihi naturaliter ius, eadem vtendi

Digitized by Google

tendi cum aliorum excluſione §. 53, et quidem vi libertatis naturalis, vtendi pro arbitrio, prouti nempe mihi viſum fuerit §. 77; ideoque hoc ius vi huius libertatis extenditur in omnes actus circa talem rem poſſibiles et in excluſionem omnium aliorum §. 76. Ergo *ius, quod mihi competit in re mea, naturaliter* (originetenus) hoc eſt ſi *per ſe et quoad libertatem meam naturalem* ſpectatur, *eſt ius*, 1) *omnes actus circa talem rem poſſibiles pro arbitrio ſuſcipiendi*, *et ſimul* 2) *omnes alios ab omni circa eamdem actu* pro arbitrio *excludendi.* Pone igitur ſingulum quemlibet actum determinatum intuitu talis rei poſſibilem; pones 1) ius mihi competens, illum exercendi, et ſimul 2) obligationem aliorum omnium, ab eodem actu ſeſe abſtinendi.

§. 137.

Ius re quadam excluſis aliis vtendi pro arbitrio vocatur DOMINIVM, et cui competit dominium DOMINVS eſt. Continet igitur dominium naturaliter complexum plurium iurium, immo ſummam omnium iurium, quae circa rem quamdam ſunt poſſibilia, et naturaliter conſiſtit in iure,

 quos-

Digitized by Google

quoslibet actus circa rem aliquam poſſibiles exercendi, atque reliquos omnes a quolibet circa eamdem actu excludendi §. 136. Atque ita *res ſua* erit, in qua alicui competit dominium; *mea*, quae in meo dominio eſt; *aliena*, cuius alter eſt dominus.

§. 138.

Dominium 1) eſt ius *in re* ſeu *in rem;* ergo illud ius, quod qua ius in perſonam cogitatur, dominium eſſe nequit. 2) Eſt ius in *in propria*, ideoque ius cum excluſione aliorum, ius proprium §. 54, dominium rei continet eiusdem rei proprietatem. Ius proprium in res non eſt ius connatum §. 108, ergo dominium 3) eſt *ius adquiſitum* §. 109, immo omnium iurium in re adquiſitorum ſumma.

§. 139.

Domino competit ius, omnes circa rem ſuam ſuſcipiendi *actus*, qui in eadem ſunt *poſſibiles* §. 136: ergo *in eos dumtaxat, qui non tantum phyſice, ſed etiam legaliter ſunt poſſibiles* §. 112. *not.* Actum, quo alter laeditur, circa rem ſuam ſuſcipere dominus vi legis naturalis nequit, alias

da-

daretur ius ad iniuſte agendum, et libertas naturalis domini circa rem ſuam abiret in licentiam §. 72. Contra vero ea *omnes actus circa rem aliquam, qui legaliter ſunt poſſibiles, domino in rem ſuam vi dominii liciti, et reliquis omnibus vi dominii alieni illiciti. Dominium* itaque *naturaliter extenditur in omnes actus, quousque patet iuſta domini voluntas; nec naturaliter limitatur, niſi quoad eos actus, qui laeſionem continent. Finis* (iuſtus) *domini reſpectu rei ſuae* eſt *pro menſura dominii ſui.* Atque ita intelliguntur *limites* dominii (vt ſupra libertatis) *naturales*, diſtinguendi ab *arbitrariis* §. 73.

§. 140.

Quoniam dominium plurium iurium ſumma conſtituitur, conſiderari tamquam *ius compoſitum* et *totum* poteſt, et hinc *ſingula iura* in eo comprehenſa tamquam totidem *dominii partes* ſpectari poſſunt. Inde eſt, quod DOMINIVM vocetur MINVS PLENVM, ſi aliqua ſui parte (hoc eſt iure quodam particulari naturaliter contento in dominio) eſt deminutum; ſi nulla, PLENVM. Ergo *domino in rem ſuam naturaliter competit dominium plenum* §. 139.

* Si dominio pars quaedam ſubtrahitur, id quod reſtat, proprie non amplius eſt totum, et hinc dominium minus plenum, ſi exacte loquamur, non eſt verum dominium. Interim tamen adhuc eodem nomine inſignitur, quatenus a potiori fieri ſolet denominatio, et quatenus iura dominii, quae parte detracta, reſidua manent, adhuc conſtituunt plurium iurium partialium ſummam et totum.

§. 141.

DOMINIVM, cuius exercitio (vel in toto vel pro parte) certa obligatio arbitraria adhaeret, ſeu cuius exercitium certa lege (poſitiua) eſt adſtrictum vocatur LIMITATVM (reſtrictum); ſin minus, ILLIMITATVM. *Naturaliter* itaque *domino in rem ſuam competit dominium illimitatum* §. 139.

§. 142.

Qui rem occupat, eam efficit ſuam et ſibi propriam §. 113. ergo *occupans fit naturaliter*, vi nempe libertatis naturalis, *rei occupatae dominus* §. 137, *plenus* §. 140. et *illimitatus* §. 141.

* Per occupationem itaque introducta ſunt et originem ceperunt rerum dominia, et hinc

RES

RES *ſpeciatim* vocantur, quae dominii noſtri capaces ſunt: quippe de meo et tuo, atque hinc etiam reſpectu rerum, de iis, quae meae vel tuae ſunt, potiſſimum iu Iure ſermo eſt.

§. 143.

Ius vtendi, quod domino in re dominio ſuo ſubiecta competit, eſt generatim ius omnes actus poſſibiles circa rem ſuam ſuſcipiendi §. 136, quod idem ius et appellari ſueuit generatim *ius diſponendi*, nimirum de re ſua pro arbitrio. Poteſt vero dominus actus in rem ſuam ſuſcipere vel ſalua re et ſaluo dominio ſuo, vel non ſalua re aut ſaltem non ſaluo dominio ſuo; prior actus VSVS REI (vtilitatis perceptio, ſubinde et vſusfructus) vocatur, poſterior DISPOSITIO DE RE, ſumto vocabulo vtroque *ſtricte* et *ſimpliciter*. *Competit* itaque *domino ius proprium*, tum *vtendi re ſua quomodocumque*, ſeu vtilitates omnes ex ea percipiendi (vtendi fruendi), tum etiam *diſponendi de eadem pro arbitrio.*

§. 144.

Quum cuilibet competat ius poſſidendi id, quod ſuum eſt §. 120, et iura dominii pateant,

quousque patet iuſta domini voluntas; *domino competit ius proprium rem ſuam poſſidendi*, hinc et *ius*, *quemlibet alium a detentione poſſeſſione rei ſuae excludendi.* Velle quippe intelligitur id omne, ſine quo exercere iura dominii nequit.

§. 145.

Et quoniam domino vi proprietatis rei ſuae ius eſt, alios ab omni actu circa rem ſuam excludendi §. 137; *ius ipſi eſt non patiendi*, *vt alter actum qualemcunque circa rem ſuam ſuſcipere ſibi arroget*, conſequentur *domino competit ius probibendi*, *quo minus alter hoc faciat*, *et interdicendi aliis omni actu circa rem ſuam.*

Quoniam denique ſuum cuique manet ſuum, quoad vult §. 77; *dominium totum et quodlibet ius particulare dominii competit domino*, *quamdiu voluerit.* Et eatenus dominium vocari ſueuit *ius perpetuum.* Quamobrem a nemine vllo tempore vllus actus in rem alienam exerceri, nec dominium eius rei tolli, imminui, reſtringi, citra voluntatem domini ſeu ipſo inuito poteſt. Hinc *inuito domino dominium rei ſuae vel ius quoddam dominii in alterum abire nequit.*

Ex

Digitized by Google

Ex omnibus hiſce perſpicitur, domino in re ſua naturaliter competere ius vtendifruendi §. 143, ius diſponendi §. ead. et ius poſſidendi §. 144, iuriumque horum quodlibet eſſe ius proprium et perpetuum domini, immo etiam ius merae facultatis, quod exercere et non exercere poteſt pro arbitrio §. 49.

TITVLVS IV.

DE

IVRE RE SVA VTENDIFRVENDI ET ACCESSIONE.

§. 146.

Domino competit ius omnes, quae poſſibiles ſunt, ex re ſua *percipiendi vtilitates:* ſiue *ad vitae neceſſitatem*, ſiue ad *commoditatem* aut *iucunditatem* qualemcumque pertineant; ſiue actus quidam ipſi adferat *veram* ſeu tantummodo *ſibi viſam* (imaginariam) *vtilitatem*, quum vi libertatis naturalis haec omnia ipſi ſint permittenda.

Et

Et quum iura dominii extendantur, quousque patet, iuſta domini voluntas; *domino competit ius proprium in omnes rei ſuae vtilitates*, ſeu *ius eas ſibi proprias habendi*, quoad fieri poteſt. Ergo et ius domino eſt, rem ſuam vtiliorem efficiendi, quo pertinet *ius meliorandi*.

§. 147.

Res vtiles, quae ex re altera proueniunt, eius ſunt FRVCTVS, et in horum oppoſitione res, ex qua fructus proueniunt, vocatur RES PRINCIPALIS (principale). Proueniunt vero fructus vel mediante hominis opera (labore, cura, induſtria), vel citra eamdem: iſti ſunt FRVCTVS NATVRALES, illi INDVSTRIALES.

§. 148.

Quoniam fructus rei ſunt vtilitates rei principalis, et domino rei ius competit, omnes rei ſuae vtilitates ſibi proprias habendi §. 146, ſequitur 1) vt *omnes fructus* tam naturales quam induſtriales *ſint res ſuae domini rei principalis*, 2) *vt, ex quo tempore fructus proueniunt* et *exiſtere incipiunt, ex eodem ipſi adquirantur*. Fructus

ctus ſequuntur rem ſuam principalem hoc eſt dominium eius rei, vnde proueniunt. Et in hoc iure fructus rei ſuae ſibi proprios habendi conſiſtit propria IVS FRVENDI re ſua, atque hoc reſpectu *ius vtendi re ſua* reliquos tantum actus ſalua manente re et dominio comprehendit. Ergo *domino ius proprium competit* non tantum in rei ſuae *ſubſtantiam* id eſt, corpus rei exiſtens, ſed etiam *in eius vſum* et *eius fructus.*

§. 149.

Quum itaque fructus, tam naturales, quam induſtriales, ſimul atque proueniunt, adquirantur, domino rei principalis; *prouentus fructuum rei in dominio exiſtentis eſt modus adquirendi* §. 112, domino nempe rei principalis, cuius titulus generatim innititur iuri, quoad domino naturaliter competit, *fruendi re ſua*; ſpeciatim vero, quod attinet induſtriales fructus, ſimul *iuri ex opera ſua adquirendi.* Quoniam nimirum is adquirit, qui factum committit, quo adquirere vult et poteſt (phyſice et legaliter) §. 112; clarum eſt, *eum qui iuſte efficit, vt aliquid exiſtat eo animo, vt ſit ſuum, adquirere* id, *quod producit,*

cit, hoc eſt, cuius exiſtentiam efficit. Atque ideo *res opera mea* (iuſta) *producta ſit mea.*

§. 150.

Res quae rei alteri tamquam eius incrementum, (emolumentum, augmentum vtilitatis) inexiſtit vel adhaeret, nec tamen eius eſt fructus, ACCESSORIVM (res acceſſoria) *ſtricte* et ſimpliciter vocatur, atque in eius oppoſitione res altera retinet nomen *rei principalis*. ACCESSORIA, quae citra hominis operam talia fiunt, dicuntur FORTVITA; quae ea mediante, ARTIFICIALIA.

Quum domino ius competat, omnes ſuae rei vtilitates ſibi habendi proprias §. 146; *acceſſoria tam fortuita quam artificialia adquirit dominus rei principalis ſimul atque fiunt rei ſuae acceſſoria*, quatenus non obſtat impedimentum phyſicum vel legale. Acceſſorium ſequitur ſuum principale.

§. 151.

Euentus quo res rei fit acceſſorium, eſt *in genere* ACCESSIO (phyſica). Datur itaque acceſſio, qua poſita ponitur adquiſitio acceſſorii, ergo quae

Digitized by Google

quae eſt modus adquirendi. Acceſſio quatenus eſt modus adquirendi acceſſorium, domini ſcilicet rei principalis, dicitur ACCESSIO *in ſpecie* (iuridica et hoc loco ſimpliciter). Titulus huius adquiſitionis fundatur generatim in iure domini omnes rei ſuae vtilitates ſibi proprias habendi, ſpeciatim autem quod ad acceſſoria artificialia, ſimul in iure ex opera ſua adquirendi §. 149.

Ius acceſſoria rei alicuius ſibi propria habendi eſt IVS ACCESSIONIS; quod igitur domino rei naturaliter competit, quoad fieri poteſt. Et hoc ius acceſſionis ad ius vtendi fruendi referri et ſub eo comprehendi ſolet. E contrario etiam *acceſſorium* et *acceſſio* quandoque generalius accipiuntur, vt acceſſorium ſimul fructus ſub ſe contineat, acceſſio autem dicatur modus acceſſoria qualiacumque, tam fructus quam acceſſoria ſtricte dicta, adquirendi; indeque acceſſio haec generalior diuidi ſolet in *acceſſionem* 1) *naturalem*, 2) *induſtrialem*, 3) *fortuitam* et 4) *artificialem*.

§. 152.

Vt acceſſio (generalibus ſumta) ſit modus adquirendi, requiritur, 1) vt *duae* adſint *res*, altera

tera principalis, altera acceſſoria, 2) vt *res principalis ſit in dominio* eius, qui acceſſoriam illius ſibi propriam habere cupit, 3) vt *acceſſoria res non ſit aliena*, alias eam ſibi propriam habere eſſet laedere, 4) vt *acceſſorium non ante iam, quam acceſſerit, fuerit eius*, qui eſt rei principalis dominus: hoc quippe caſu nouo adquirendi modo non opus eſt, 5) *vt acceſſorium, ſimul atque tale euadit, etiam in domini rei principalis poteſtatem cum excluſione aliorum perueniat*, aut ſaltem natura rei acceſſoriae non obſtet, quo minus ſit in poteſtate domini rei principaliis, niſi eam ſimul apprehendat. Non enim dominus rei principalis id iam adquiſiuiſſe exiſtimandus eſt, a quo, vt alios excludat, eodemque vtatur, ipſi phyſice adhuc eſt impoſſibile. 6) Vt *dominus* rei principalis *adquirere acceſſorium* rei ſuae *velit*, quum vltra intentionem domini iura dominii non extendantur §. 139.

Quamobrem vt vna faſce omnia comprehendamus; *Dominus rei adquirit eius acceſſoria ſimul atque talia fiunt, quatenus ea adquirere vult et poteſt* (phyſice et legaliter).

§. 153.

Digitized by Google

§. 153.

Adquirit dominus rei principalis fructus naturales et acceſſoria fortuita rei ſuae circa accedentem operam ſuam, ſimul atque illi proueniunt, et haec talia fiunt; ergo *adquirit vtrosque, licet eos nondum apprehenderit, et factum corporale circa eosdem nondum commiſſerit.* Quamobrem poſito rei principalis dominio, adquiſitio fructuum naturalium et acceſſoriorum fortuitorum non demum *ex accedente facta* corporali eius, qui rei principalis eſt dominus, oritur; ſed ſufficit *merus euentus*, quo exiſtente dominus rei principalis iuſte vult et poteſt adquirere. Atque eatenus *haec adquiſitio perficitur ſola lege naturali*, vi cuius euentus, quo fructus naſcuntur et res fiunt ſuae rei acceſſoria, eſt loco facti et apprehenſionis: vnde prouentus fructuum naturalium et acceſſio fortuita, in oppoſitione ad modus rem adquirendi ex facto, *vocantur modi rem adquirendi ex lege* (ipſo iure ſeu *iure rei noſtrae*).

Prouentus vero fructuum induſtrialium et acceſſio acceſſoriorum artificialium, quum circa eos concurrat factum domini rei principalis, ſunt *modi rem adquirendi ex lege et opera ſimul* ſeu iu-

 re

re rei et operae iunctim. Ideoque *opera*, *labor*, *induſtria*, ſi hoc loco tamquam modus adquirendi ſpectatur, *ad acceſſionem* generalius dictam pertinet.

§. 154.

Acceſſio generalius ſumta 1) *naturaliter eſt modus rem adquirendi originarius* §. 118, et quidem *ſecundum quid talis*, quum praeſtruat rem principalem iam eſſe in dominio.

2) *Acceſſio non eſt occupatio.* Fructus enim ſimul atque exiſtere incipiunt, adquiruntur dominio rei principalis, ideoque numquam fuere res nullius: acceſſoria vero ſtricto dicta, licet ante acceſſionem fuerint nullius; non tamen vi apprehenſionis, ſed vi euentus, quo fiunt acceſſoria, dominio domini rei principalis ſubiiciuntur. Ergo *non datur occupatio acceſſoria. Occupatio eſt modus rem adquirendi originarius abſolute* (per ſe) *talis*, qui nempe aliam rem dominio iamiam ſubiectam non ſupponit.

3) *Acceſſio efficit ipſam adquiſitionem acceſſorii pro lubitu domini rei principalis* §. 153, ergo *non ius tantum adquirendi* inuoluit, multo minus *occaſionem adquirendi* dumtaxat praebet.

4) *Fructus et acceſſoria* ipſo iure adquiruntur

tur, et in dominium transeunt domini rei principalis, licet eosdem nondum apprehenderit: ergo *naturaliter non ſunt res iacentes*, tales nimirum, in quas domino rei principalis quidem ius, alios ab iisdem excludendi, nondum vero dominium ipſum competat. Dominii adquiſitionem hoc caſu demum ex apprehenſione (facto corporali, aditione, perceptione fructuum) deducere; ſuperuacaneum, libertati naturali contrarium, iuſtaeque domini rei principalis voluntati, quae pro menſura dominii habenda §. 139. aduerſum eſt.

5. Quum operae hominis vtiles multis modis ſint ipſi aliisque, et cuique in operas ſuas, qua actiones iuſtas, competat natura ius proprium, vi libertatis naturalis pro ſuo arbitrio exercendum; introducto rerum dominio *operae rebus* in dominio exiſtentibus ob ſimilitudinem *aequiparantur, et effectus earum vtiles*, *ſ. vtilitates*, *quae ex operis producuntur*, *fructibus*, indeque vocantur *fructus operae*. Atque ita intelliguntur *fructus induſtriales* eſſe *fructus partim rei partim operae*, et *acceſſoria artificialia pertinere ad fructus operae*.

§. 155.

Si *res aliena* fit rei meae acceſſorium; tale acceſſorium mihi, tamquam rei principalis domino, ſolo acceſſionis euentu neutiquam adquiritur §. 119. Sed ſi dominus rei principalis ſine culpa ignorat, eam eſſe alienam; ipſi ius competit, eam rem qua acceſſoriam iudicandi ſuam, donec dominus eiusdem ſibi reddatur cognitus §. 127 128. Hoc caſu adeſt acceſſio rei alienae, quae talis eſſe ſine culpa ignoratur, quam appellamus ACCESSIONEM PVTATIVAM, quae eſt ſpecies modi adquirendi putatiui §. 132, et efficit, vt dominus rei principalis euadat talis rei acceſſoriae poſſeſſor bonae fidei §. 129. et dominus putatiuus §. 132.

* Exempla *acceſſionis rei alienae* larga manu ſuppeditat Ius Romanum, quod in materia acceſſionis potiſſimum attendit ad eam rei alienae acceſſionem, quae opera hominis perficitur, v. gr. adplumbaturam, afferruminationem, intexturam, confuſionem, commixtionem, cet. Eamdem etiam in *rebus naufragis*, *iactis*, *amiſſis* et *theſauro inuento* reperire pro datis circumſtantiis licet.

TIT.

Digitized by Google

Titvlvs V.

de

IVRE DISPONENDI DE RE SVA.

§. 156.

Disponit *ſtrictius* dominus de re ſua, ſicubi actum circa eam ſuſcipit, quo vel res ſua vel dominium ſibi in eadem competens ſaluum non permanet, ſeu quo dominus aut rei ſuae, aut iuri in re ſua detrimentum quoddam infert (qualemcunque circa rem vel iura dominii iacturam facit); et *domino naturaliter competit ius proprium, de re ſua diſponendi pro arbitrio* §. 145.

Actus in rem, quo ipſa interit, eſt rei destrvctio (huc et *conſumtio rei* pertinet); quo fit minores vtilitatis, ſeu quo efficitur, vt minorem, quam antea, praeſtat vſum, deterioratio (peioratio); eiusque maior gradus, hoc eſt quo efficitur, vt res vſum ordinarium amplius non praeſtet perdurante tamen ſubſtantia, corrvptio. *Domino* itaque *competit ius proprium rem ſuam deſtruendi, conſumendi, deteriorandi, corrumpendi; dummodo fiat ſine laeſione*

ſione alterius. Si per *abuſum* rei (bono ſignificatu ſumtum, intelligis actum in rem, quo ea detrimentum capit; *domino* etiam *ius proprium re ſua abutendi eſt tribuendum.*

* *Res immutatione* mox maioris, mox minoris vtilitatis effici poteſt, hinc ius immutandi rem ſuam ad ius vel vtendi re ſua, vel de eadem diſponendi, referri poteſt. Vtroque caſu *domino ius proprium competit rem ſuam quomodocumque immutandi.* Talis rei immutatio, vt ſub alio genere (iuridico i. e. ſpecie philoſophica) iam contineatur, vocatur SPECIFICATIO: ergo et *ſpecificandae rei ius domino eſt proprium.*

§. 157.

Domino vi iuris diſponendi de re ſua *ius proprium competit, etiam tales actus circa rem ſuam ſuſcipiendi*, quibus *dominium* eius *ſaluum non manet*; ergo *quo dominium eius vel plane tollitur, vel imminuitur, vel reſtringitur* §. 140. et 141.

Digitized by Google

§. 158

RENVNTIAT IVRI SVO, qui declarat, ſe ius ſuum amplius habere nolle. Ergo *domino ius proprium eſt*, *renunciandi iuri*, *quod in rem ſuam habet*, *omni et ſingulo cuique*; et generalius: *cuilibet* vi libertatis naturalis ius competit *iuri ſuo renunciandi*; quatenus fieri phyſice et legaliter poteſt. *Renunciatio* iuris ſui quum ſit declaratio, vel *expreſſa*, vel *tacita* eſt §. 88.

§. 159.

DERELINQVITVR RES, ſi dominus nude nolit, eam amplius eſſe ſuam; *nude* hoc eſt, ſi actus voluntatis nihil amplius contineat, quam quod res ſua non eſſe debeat. Ergo *domino ius propriam eſt*, *rem ſuam derelinquendi*. Et quum derelictio rei ſit actus voluntatis, de quo alteri conſtare nequit, niſi declaretur verbis vel facto quodam; *qui rem ſuam derelinquit*, *iuri omni* quod ipſi vi dominii *in rem ſuam* competit, *renunciat* expreſſe vel certe tacite §. praec.

§ 160.

ALIENAT aliquid, qui ex ſuo efficit alienum, ſeu transfert ſuum in alterum, ſeu efficit, vt ſuum

in alterum transeat. Si rei dominium in alterum transfertur, RES ipſa ALIENARI; ſi vero ius tantum aliquod ſub dominio comprehenſum transfertur, non res, ſed IVS tale *alienari* dicitur. Itaque *domino ius proprium competit*, et *rem* ſuam *alienandi*, vel totam vel eius partem (dominium vel totius rei, vel partis rei ſuae); et quodlibet *ius particulare*, ad dominium rei ſuae pertinens (totum dominium vel eius partem quamlibet), *alienandi*. Immo vi libertatis naturalis *cuilibet ius eſt*, *alienandi ius ſuum*, niſi lex vel impedimentum phyſicum obſtet.

Si pars rei tantum alienatur, RES DIVIDITVR; ſi pars dominii, DOMINIVM DIVIDITVR iuridice. *Domino* igitur *ius proprium competit*, etiam *rem ſuam et eius dominium diuidendi* vel *cum alio aliisve* vel *inter alios*, ſcilicet vel retenta ſibi aliqua parte vel nulla ſibi retenta.

Quum translatio iuris ſui et alienatio ſit actus voluntatis, de quo alteri conſtare nequit, niſi declaretur; *qui rem* vel *ius quoddam in re* ſibi competens, vel generatim *ius ſuum in alterum*

trans-

Digitized by Google

transfert ſeu *alienat*, *iuri eidem renunciat* §. 158. hinc etiam *renunciat iuri ſuo*, *qui rem ſuam diuidit*, *quatenus partem vel partes alienat*.

§. 161.

Quoniam domino ius proprium competit, iura dominii in rem ſuam quaelibet quomodocumque transferendi: ſequitur, vt poſſit 1) et alium alios-ve in *communionem* adſciſcere tum totius dominii rei ſuae, tum cuiuslibet iuris dominii, 2) et *diuidere* inter ſe atque alium aliosue iura dominii, ita vt vnum vel plura iura in alterum transferat ſe excluſo, reliquis vel reliquo iure ſibi ſoli retentis, et 3) iuncto actu vtroque *partim communia*, *partim diuiſa* cum alio aliisue habere dominii iura.

Priori caſu ſi qua conſtituitur communio dominii, ea dicitur CONDOMINIVM; et ſinguli, quibus condominium competit, CONDOMINI; condomini ſimul ſumti DOMINVS MORALIS (myſticus), quia eſt perſona moralis §. 92. Pr., appellantur. Et tunc quidem condominis ſimul ſumtis competit dominium plenum; ſingulis vero,

ſi iuri ipſis competenti nomen dominii tribuere adhuc vis; dominium dumtaxat minus plenum tribui poteſt §. 140. Condominium vocatur etiam *communio rei*, vt diſtinguatur a *communione iuris* cuiusdam dominii particularis vel alius iuris cuiuslibet. *Communio rei non datur niſi in re indiuiſa*, quoniam facta rei diuiſione communio rei tollitur, et quisque partis ſuae ſeparatae eſt domiuus ſolitarius. *Domino ius competit*, *condominium* et *ius* quodlibet vel cum vel ſine excluſione ſui alteri in *re ſua conſtituendi*. Atque tales actus domini pertinent ad alienationem, hinc ad renunciationem iuris ſui §. *praec*.

Diuiſi inter plures dominii ſpecies innumerae fere cogitari poſſunt, ex diuerſitate vtilitatum, et hinc iurium ſpecialiorum in diuerſis rerum generibus poſſibilium, atque ex varia diſtributione horum iurium inter diuerſum perſonarum numerum, vario modo poſſibilium, oriundae.

§. 162.

Partes dominii eminentiores ſeu maiores, quae plures minores ſub ſe, quod oſtendimus, comprehendunt, ſunt 1) ius vtilitates percipiendi, et

2)

Digitized by Google

2) ius diſponendi. Si dominus ius, vtilitatem quamdam ex re ſua percipiendi (ſiue omnem ſiue certam ſolummodo), alienat retento reliquo dominio; oritur alteri SERVITVS, hoc eſt ius in re aliena alicui competens ad vtilitatem quamdam percipiendam, ſeu ius vtilitatem quamdam ex re aliena percipiendi. Ergo *conſtitutio ſeruitutis in re ſua eſt alienatio iuris, qua dominium non quidem tollitur, ſed imminuitur tamen* §. 161.

Si dominus ex. gr. Caius transfert in Titium ius, vtilitates omnes ex re ſua percipiendi, et ſimul cum ipſo communicat ius diſponendi; et Caius et Titius reſpectu huius rei nominari ſolet dominus, minus plenus ſcilicet vterque §. 140, ea tamen differentia, vt Caius appelletur DOMINVS DIRECTVS, et hinc ius eius DOMINIVM DIRECTVM; Titius vero DOMINVS VTILIS, et hinc ius ipſius DOMINIVM VTILE.

§. 163.

Denique domino vi iuris de re ſua diſponendi etiam *ius proprium competit*, *actum quemlibet ad exercitium dominii ſpectantem alteri permittendi*, ſeu *certum rei* ſuae *vſum* (oppoſitum abuſui

vſui §. 156.) *ipſi concedendi*; qua conceſſione facta dominium non quidem imminuitur, ſed reſtringitur tamen aliquamdiu quoad actus alteri permiſſos: quippe ſuſpenditur ad tempus exercitium alicuius iuris in dominio naturaliter contenti in vtilitatem eius, cui certus rei vſus conceditur, et conſequenter ius ad eos actus, ſine quibus talis vſus obtineri nequit, confertur.

§. 164.

Poſita iurium dominii inter plures diuiſione quodlibet *ius proprium in re* naturaliter eſt tale, quo quis vti, conſequenter omnes actus vi talis iuris poſſibiles ſuſcipere, cum aliorum excluſione poteſt §. 53. et 136, ſiue actu quodam ſuſcepto ius ſaluum maneat ſiue minus, ſi nempe ius illud tollatur, imminuatur aut reſtringatur. Hinc iura propria in re ſpectantur tamquam *res* in dominio conſtitutae, atque iis aequiparantur, indeque factum, vt iuribus propriis in re, potiſſimum particularibus, vt et aliis iuribus ſimilibus, etiam nomen *rerum*, cum addito: *incorporalium*, ab ICtis Romanis impertitum fuerit. Et igitur RES INCORPORALIS ius proprium, quo quis inſtar

rei

Digitized by Google

rei (corporalis) ſuae vti, ſeu de quo quis pro arbitrio ſuo diſponere §. 145. poteſt. Hinc 1) res incorporales dicuntur eſſe in *quaſi-dominio*, et 2) earum poſſeſſio §. 120. *not.* 3., in oppoſitione ad rerum corporalium poſſeſſionem, etiam *quaſi-poſſeſſio* appellatur. Et quemadmodum in re corporali diſtingui poteſt eius ſubſtantia, vſus et fructus, ita ob analogiam 3) rebus incorporalibus praeter *vſum* etiam *ſubſtantia* et *fructus* tribuuntur, vt nempe ab exercitio iuris diſtinguatur tum ius ipſum tum etiam vtilitates, quae exinde obtinentur. Hinc 4) etiam *rei incorporalis vſus alteri concedi poteſt, illumque concedendi eius quaſi-domino ius proprium competit, eoque conceſſo ius in rem ſuam incorporalem ad tempus reſtringitur* §. praec.

Digitized by Google

TITVLVS VI.

DE

PACTO.

1. Chriſtoph. Andr. REMERI tractatus *de vero ex Iure Romano, ſtatui Germanico attemperato, obligationum valore, qui naturam et fundamenta obligationis iuxta Iuris Natur. ductum plene exhibet, ex his Romani Iuris diſpoſitiones aeſtimat, et vtriusque praxin in foris Germanicis oſtendit, eamque exemplis contractuum XXII. capitibus illuſtrat*, Hamburg. 1714. et 1731. 4.

2. I. G. SINCERI (D. Ioach. Gotth. SPARMANNI) *de ſimplicitate Iuris Naturae in materia contractuum a Germanis ſeruata* praefatio ad P. CIESII *manuale exceptionum forenſium*, Gryphisw. 1742. recuſum.

§. 165.

DECLARATIO MENTIS SVFFICIENS eſt, quae cum certitudine morali iudicari poteſt ſincera, ſeu cuius ſinceritas eſt moraliter certa. Quum de mente alterius conſtare nobis nequeat, niſi ea declaretur §. 57, adeoque nec certo conſtare

Digitized by Google

ſtare poſſit, niſi quatenus alter eamdem ſufficienter declaret; in foro humano *declaratio mentis ſufficiens aequipollet menti ipſi.* Ergo quod verbis vel facto te cogitare aut velle ſufficienter ſignificas, id contra te pro vero habetur, nempe te id actu cogitare aut velle. Conſequenter *quidquid te velle ſufficienter declaras, illud te actu velle mihi ius competit iudicandi*, et generalius: *qualem tu te declaras, nempe ſufficienter, talem te iudicandi ius habeo.*

Qua de cauſſa ſi ſufficienter declaro, me nude nolle, vt res mea amplius mea ſit; alter exinde ius nanciſcitur iudicandi, me actu interne velle, vt haec res non amplius mea ſit, conſequenter iudicandi, eam rem nunc factam eſſe nemini propriam, nullius §. 108. ſibique occupabilem §. 114. Atque ideo hac ratione alteri ex mea declaratione naſcitur ius occupandi; et ſi occupat, res talis ipſi cedit qua occupanti. Ergo *vt res valide derelinquatur* §. 159., *requiritur ſufficiens derelinquentis declaratio*, ac eatenus *res derelicta euadit nullius, ceſſura cuilibet occupanti.*

Io. Henr. FELZII *excerpta controuerſiarum illuſtrium de rebus pro derelicto habitis*, Argentor. 1708. 4.

§ 166.

§. 166.

Introductis rerum dominiis coepit opulentia quorundam, inuentae variae vitae commoditates, enatum earumdem ſtudium, hinc rerum atque opum cupititas. Coepit vero ſimul cum dominiis aliquorum multiplicatis indigentia aliorum, quae inuectis commoditatibus magnopere ipſa vtrinque eſt multiplicata. Atque ita paulatim a ſimplicitate vitae homines receſſerunt, vnde orta partim, partim aucta neceſſitas, rebus atque actionibus cuiusque ſuis mutuae indigentiae inuicem ſubueniendi, ſeu quod idem eſt, res atque actiones et ſpeciatim *operas*, quae conſiſtunt in actionibus commiſſiuis nobis aliisque vtilibus, ſuas in aliorum vtilitatem conferendi.

Et primo quidem, quod attinet ad res, vi libertatis naturalis a voluntate tua qua domini vnice dependet, an et quomodo rem tuam in me transferre velis. Si tu vero vis rem tuam in me transferre; a me voluntate vi libertatis naturalis vnice dependet, an et quomodo rem tuam habere ſeu adquirere velim.

CONSENTIO in *ſignificatu Iuris Externi* tecum, ſi tibi ſufficienter declaro, me idem velle

quod

quod tu vis. Quamobrem *ad transferendum rei dominium naturaliter requiritur conſenſus domini* (*habentis* ſcilicet rem) et *adquiſituri* (*egentis* ſcilicet re): voluntas nimirum ſufficienter declarata vtriusque. Et quoniam domino ius competit de re ſua diſponendi pro arbitrio et cuique a natura ius competit adquirendi §. 77; ad *transferendum rei dominium uaturaliter etiam ſufficit conſenſus habentis et egentis.*

Si itaque vis, vt haec res tua fiat mea, et ego volo idem, vt ſcilicet haec res tua fiat mea; ſimul atque de hac noſtra voluntate vtrinque conſtat, facta nempe reciproce declaratione ſufficienti; res haec tua fiet mea ſeu a te alienatur et a me adquiritur. Quamobrem *conſenſus habentis et egentis in translationem dominii certae rei efficit, vt res ſua habentis fiat res ſua egentis*, ideoque *conſenſus eiusmodi eſt modus rem adquirendi* et quidem *deriuatiuus* §. 118, quia eſt *modus* rem *alienandi* ſeu medium ſufficiens alienationis.

Idem *valere* etiam *de translatione iuris cuiusque in re particulari*, et *de conceſſione vſus rei ſuae* immo *iuris cuiusque ſui*, *quatenus fieri poteſt*, iam facile eſt ad intelligendum.

Digitized by Google

* Hac demonſtratione nihil aliud euincitur, niſi quod *in ipſo* talis *conſenſus conceptu* nihil reperiatur, quod obſiet, quo minus res habentis egenti adquiratur.

§. 167.

Traditio rei eſt actus, quo rei poſſeſſio (naturalis) in alterum transfertur, ſeu quo efficitur, vt res ex mea poſſeſſione in tuam perueniat (transeat). Quoniam domino competit ius rem ſuam poſſidendi proprium §. 144; *translato rei dominio naturaliter ſimul transfertur et ab altero adquiritur ius proprium eam poſſidendi.* Quicumque igitur dominium rei ſuae in alterum transfert, naturaliter obligatur ad eamdem ipſi tradendam, vt alter nimirum illam accipere (apprehendere) hoc eſt eius rei poſſeſſionem obtinere poſſit, vtque nouus ideo rei dominus eius etiam fiat poſſeſſor. 1) Alienatio rei et rei traditio itaque ſunt actus diuerſi, poſſunt tamen fieri ſimul et vno actu. 2) Et quoniam ad rei alienationem ſufficit conſenſus, nuda nimirum voluntatis vtriusque conſentientium declaratio; *ad alienationem rei naturaliter non requiritur rei*

tra-

Digitized by Google

traditio, hoc ſenſu vt conſenſus alienantis non producat ius egentis, qua adquirentis dominium, niſi acceſſerit traditio. Quippe ſi traditio differatur, ex ipſo conſenſu habentis iam deriuatur obligatio ad rem translatam tradendam, vt, quod actu ſimultaneo cum alienatione factum non eſt, nunc actu ſeparato ſit faciendum.

Clarum eſt *idem valere de traditione* translati *iuris cuiusque particularis in re* vel alius *iuris qualiscumque*, vel etiam *rei* aut *iuris*, *cuius vſus alteri*, vi conſenſus habentis et egentis, *conceſſus eſt*, *quatenus fieri poteſt*. Sicuti enim poſſeſſio ad iura extenſa eſt §. 120, ita etiam vocabulis *tradere* et *accipere* vti ſolemus hoc dilatato ſignificatu.

Traditio rei vel iuris, quae cum eius alienatione vel vſus conceſſione quomodocumque coniuncta eſt, dicitur ſpeciatim etiam DATIO, vt ita DARE REM idem ſit, ac tradere rem tamquam alienatam vel conceſſam.

§. 168.

Quoniam actiones noſtrae perinde atque res et iura noſtra aliis ſunt vtiles, atque ita indigentiae

aliorum non tantum rebus et iuribus, ſed etiam factis et operis noſtris ſubuenire poſſumus, introductis vero dominiis aucta fuerit haec indigentia; orta et aucta inde eſt neceſſitas ex hic officiis, quae natura imperfecte debentur §. 78. 76, officia perfecta officiendi.

Quum natura cuique in actiones ſuas iuſtas comperat ius proprium, et vi libertatis naturalis a voluntate cuiuslibet dependeat, an et quomodo transferre operam ſuam et adquirere operam alterius velit; *ad transferendam operam naturaliter requiritur et* etiam *ſufficit conſenſus pollentis opera et egentis*, breuius: *vt mea opera fiat tua, requiritur et ſufficit conſenſus tecum meus.* Itaque *talis conſenſus eſt modus alienandi et adquirendi operam. Cum opera alterius ſimul adquiruntur eius operae fructus* §. 154.

Idem valet etiam de actione aliis vtili omiſſiua, quam omittere natura non obligamur, hinc et de facto et non-facto. Quippe ſi transfero actionem meam omiſſiuam, ius transfero in alterum exigendi, ne illam committam.

§. 169.

§. 169.

Praestamus alteri id, quod re, iure vel facto noſtro in alterius vtilitatem conferimus. Quoniam is, in quem translata eſt opera, in eam adquirit ius proprium; *qui transtulit operam ſuam, obligatur ad praeſtandam operam*, vt alter frui eadem ſeu vtilitatem exinde productam percipere poſſit. Praeſtatur itaque opera et actio quaelibet faciendo, res vero et iura dando praeſtantur. Quumque omne ſuum hominis introductis dominiis in rebus, iuribus vel actionibus conſiſtat; *praeſtatio* omnis *in dando vel faciendo conſiſtit*.

Accepto aliquid a te, ſi conſentio, vt mihi a te praeſtetur, quod praeſtare mihi velle ſufficienter declaras. Ergo *ad translationem rei, iuris, facti requiritur acceptatio, immo et ad eamdem ſufficit*, quatenus conſenſum transferentis inuoluit §. 166. et 168.

§. 170.

Conſenſus mutuus (reciprocus) in certam praeſtationem, hoc eſt, vt aliquid praeſtetur alteri conſentientium ab altero, pactum (pactio,

conuentio) vocatur. Obiecta praeſtationis ſeu praeſtanda ſunt res, iura, facta, et ſimulatque duo vel plures in idem obiectum praeſtandum (placitum) conſentiunt, pactum exiſtit. Quamobrem 1) *res, iura, facta transferri et adquiri pacto poſſunt*, immo 2) *naturaliter transferri et adquiri citra pactum nequeunt*. 3) *Pactum eſt modus alienandi et modus adquirendi res, iura, operas* §. 166. et 168. 4) *Titulus* adquiſitionis pactitiae acceptantis nititur praeter ius adquirendi cuique connatum *conſenſu eius, a quo acceptat* §. 166. 5) *Suum pactitium eſt ſuum adquiſitum* §. 109.

* Ex notione pacti intelligitur, quatenus verum ſit: *volenti non infertur laeſio, non fit iniuria, non datur damnum; damnum non eſt, niſi id, quod infertur inuito.*

§. 171.

OBLIGO ME alteri, ſi in ipſum transfero ius exigendi a me certam praeſtationem. PROMISSIO (promiſſum) eſt declaratio voluntatis ſufficiens, qua quis ſeſe alteri obligare intendit. Itaque *ex promiſſione acceptata* (quae ſubinde

PACTVM *ſtrictius* vocatur), *oritur ius acceptantis* promiſſionem (promiſſarii) *in promittentem* (promiſſiorem), *vt actu praeſtet quod promiſit, cui iuri reſpondet obligatio promittentis ad praeſtandum quod promiſit.* Haec obligatio promittentis naſcitur ex facto ſuo, qualis OBLIGATIO vocatur CONTRACTA (adquiſita), et ad obligationes hypotheticas eſt referenda §. 109. Quum STARE PROMISSO dicatur, qui actu praeſtat, quod acceptanti praeſtare promiſit; *promittens ſtare promiſſo obligatur acceptanti.* Et eatenus *ſtandum eſt promiſſis.*

Qui transfert in acceptantem rem, ius vel factum ſuum, quatenus non ſimul tradit aut facit, vno verbo non ſimul *praeſtat, quod transfert;* is ſeſe obligat ad hanc praeſtationem, hinc promittit, ideoque *ſtare promiſſis tenetur,* et ad id, quod transtulit, praeſtandum obligatur.

Omnis promiſſio acceptata pactum inuoluit, et eius eſt ſpecies, continens *actum obligatorium*, id eſt quo obligatio ad aliquid praeſtandum inducitur, conſequenter *actum in futurum prominentem.* Pactum vero inuoluit notionem generaliorem, non excludens *actus in praeſens abſolutos*,

Digitized by Google

ſi nempe ſtatim praeſtatur a transferente, id quod dandum vel faciendum cum acceptante conſentit.

SERVAT (adimplet, conſummat) PACTVM, qui actu praeſtat, quod pacto praeſtare promiſit. Quatenus igitur promittens nondum praeſtitit, quod pacto promiſit ſeruare pactum obligatur. Et eatenus *pactum eſt ſeruandum.*

§. 172.

Iur. Nat. non est discrimen [illegible] contractus et [illegible]ta, sed in iure Roma[illegible] contractus [illegible] partim [illegible] sollenni[illegible] quaedam in [illegible] contract[illegible] solent perag[illegible]

Promiſſio acceptata, qua transfertur ius in obiectum praeſtandum, dicitur CONTRACTVS: contractu ſcilicet res, ius factumue alienatur, aut rei vel iuris vſus conceditur. Contractus itaque eſt ſpecies pacti et promiſſionis acceptatae, continens conſenſum in alienationem vel conceſſionem certi obiecti praeſentem (etſi tractio et actualis praeſtatio differatur); quum pactum et promiſſio continere etiam poſſint conſenſum tantum in alienationem et conceſſionem futuram. PERFICITVR CONTRACTVS, dum ius acceptantis in obiectum vi contractus praeſtandum conſtituitur, Ideoque *naturaliter contractus conſenſu contrahentium perficitur* §, 170; et quia pactum eſt ſeruandum, *contractus perfectus adimplendus eſt.*

At-

Digitized by Google

Atque ita quod praeſtate antea erat voluntatis (res meri arbitrii); conſenſu mutuo, pacto ſancito, promiſſo acceptato, contractu perfecto ſit neceſſitatis (legalis). Quoniam contractus eſt ſpecies pactorum praecipua, vt ſaepius contractus et pactum (ſtrictiſſime) pro ſynonymis habeantur, in ſequentibus pactum praecipue tamquam contractum conſiderabimus.

§. 173.

Generatim vt *pactum* ius atque obligationem, mutuo paciſcentium conſenſui conformiter, producat, requiritur, vt 1) ſit *pactum verum* ſeu vt exiſtat pactum, conſequenter vt exiſtat conſenſus paciſcentium mutuus de obiecto quodam, quod a promiſſiore acceptanti eſt praeſtandum, et 2) vt *validitati eius non obſtet impedimentum* vel *phyſicum* vel *legale.* Ergo pacto efficitur, vt ſuum promittentis fiat acceptantis, quatenus id effici phyſice et legaliter poteſt, et pactum eſt ſeruandum, niſi lex vel aliud ſit impedimento.

Digitized by Google

§. 174.

Quamobrem, quod I. *veritatem pacti* concernit, non adeſt pactum, vbi conſenſus mutuus 1) non eſt *poſſibilis*, conſequenter ſi promittens vel acceptans facultate conſentiendi phyſica deſtituitur. Ergo pactum requirit *vſum intellectus* tum in promittente tum in acceptante: quippe negato vſu intellectus tollitur conſentiendi facultas §. 5. Pr. Nec 2) adeſt pactum, vbi conſenſus mutuus non *exiſtit*, conſequenter niſi exiſtat a) voluntas b) ſufficienter declarata, c) de obiecto praeſtando certo, d) et quidem voluntas vtriusque paciſcentium, e) adque eadem §. 166.

§. 175.

a) *Voluntas* (volitio, decretum voluntatis, voluntas ſeria, efficax) requiritur. Qui adhuc deliberat, vtrum paciſcendum, vtrum conſentiendum ſibi ſit, nondum conſentit, nondum paciſcitur. Ergo 1) TRACTATVS (negotiationes pactitiae), quatenus cogitantur vt deliberationes plurium de ineundo inter ſe pacto, obligatione pactitia deſtituuntur. Qui declarat ſe per *iocum*

Digitized by Google

iocum paciſci, aut inſufficienter voluntatem declarat; aut prorſus contrarium eius, quod velle ceteroquin ſignificat, actu velle declarat: eatenus 2) *iocus pactum tollit.* 3) *Qui adfirmat, ſe praeſtiturum alteri aliquid, cum reſeruatione liberae* (non-obligatoriae) *praeſtationis*, hoc eſt ſe velle quidem alteri aliquid praeſtare, nolle tamen, vt alteri ius exigendi praeſtationem competat; *ad id praeſtandum non obligatur*, hinc talismodi declaratio vim pacti non habet.

§. 176.

b) *Voluntas* requiritur *ſufficienter declarata.* CONSENSVS quum ſit declaratio voluntatis, vel EXPRESSVS (explicitus) vel TACITVS (implicitus) eſt §. 88. Pactum, quod continet conſenſum vtriusque paciſcentis expreſſum, eſt PACTVM EXPRESSVM, quo pertinet *pactum orale* (verbale) et *ſcriptum* §. 88. Pactum, quod continet conſenſum tacitum vel vtriusque vel alterius ſaltem paciſcentis, eſt PACTVM TACITVM. *Si alterutri paciſcentium tribuitur conſenſus, qui* tamen *vere non conſentit*; *ex tali conſenſu ficto non naſcitur pactum niſi fictum*,

nec

Digitized by Google

nec inde ius et obligatio pactitia vera naturaliter oriri poteſt.

*) Quamobrem ſi cui vel *inſcio.* vel *vſu intellectus carenti*, tribuitur conſenſus; conſenſus non eſt, ſed fingitur.

Fingi vero conſenſus alterius cum *ratione ſufficienti* dicitur, qui alicui, cuius conſenſus ſtato tempore haberi nequit, ob manifeſtam eius vtilitatem tribuitur. Et talis CONSENSVS fictus vocari ſueuit PRAESVMTVS, indeque exſtruitur PACTVM PRAESVMTVM (quaſi-contractus quibusdam dictus), in quo conſenſus vnius eſt verus, conſenſus autem alterius tantum praeſumitur. Pacta praeſumta ius et obligationem pactitiam naturaliter ſeu per ſe non producunt, quoniam pertinent ad pacta ficta: ſubſequente tamen conſenſu vero eius, cuius conſenſus hactenus praeſumebatur dumtaxat, ex conuentione ficta iam euadit vera. Conſenſus ex poſtfacto accedens eſt RATIHABITIO, quae eſt vel *expreſſa* vel *tacita* §. 88. *Si igitur, quod ab altero ex conſenſu tuo praeſumto animo te obligandi factum, ratum habet; obligaris ex pacto.*

**) In ſtatu ciuili dantur *facta iuridica*, quae inſtar pactorum ius atque obligationem pro-

Digitized by Google

producunt, et hinc pacta praeſumta et quaſi-contractus appellari ſolent, ex. gr. *negotiorum geſtio*, quo negotium alterius ſine conſenſu eiusdem peragitur animo, eum ſibi obligandi. Sed non opus eſt hoc et ſimilibus caſibus fingere pactum, et adſtruere quaſi-contractum; quum obligatio eius, cuius negotium geſtum, licet non ex *conſenſu ſuo* oriatur, tamen ex alio fundamento ſatis valido naſcatur, nempe ex *lege* ſuperioris. Vnde et ipſum Ius Romanum obligationem eiusmodi non *ex quaſi-contractu*, ſed *quaſi ex contractu* profectam ſtatuit. Scilicet obligatio, quae immediate e lege oritur, et ea, quae e valido pacto naſcitur, *eumdem* et aeque validum *effectum* habent, *fundamento* quamuis *diuerſiſſi* nitantur.

§. 177.

c) Voluntas requiritur *de obiecto praeſtando certo* et *determinato*. PACTVM INCERTVM, quod continet vel conſenſum mutuum incertum vel obiectum praeſtandum incertum, *efficit etiam ius atque obligationem incertam.* Huc pertinet, quae quis *adſertione generali* per *verba officioſa et honoris* promittit; quatenus inuoluunt declarationem

rarionem

rationem, ſe velle inſeruire alteri, ſi qua occaſio nata fuerit, quam amplecti ipſi libuerit.

Quum poſito tali pacto, quo dumtaxat promittitur ius futurum in obiectum praeſtandum, ex. gr. alienatio rei futura, adhuc a promittentis arbitrio dependeat, quomodo rem ſuam alienare velit, quando alienabit §. 166; talia pacta per ſe conſiderata incerti quid continent, vt nouo pacto plerumque opus ſit, quo de ipſa alienatione et eius determinato modo conueniatur.

* Atque eatenus *promiſſiones vagae*, *pacta nuda*, *pacta de alienando*, *pacto praeparatoria* incertae ſunt validitatis, atque vi contractus perfecti deſtituuntur.

§. 178.

Tum d) *voluntas* ſufficienter declarata *vtriusque*, nempe et promittentis et acceptantis, adeſſe debet §. 166. Ergo ad conſtituendum pactum non ſufficit factum vnius tantum perſonae, ſed requiritur quoddam vtriusque paciſcentis factum.

Quoniam nimirum promittere et acceptare naturaliter pertinent ad res merae faculatis §. 79; ab arbitrio cuiuslibet vnice pendet, vtrum promittere;

re, vtrum acceptare velit vel nolit. Quare vt meum ſiat pacto tuum: requiritur non tantum mea promiſſio, ſed et tua acceptatio; nec tantum actus, quo acceptare intendo, ſed et tua promiſſio. Ergo promiſſum ſine acceptatione nondum eſt pactum, nondum factum obligatorium: nec declaratio me velle, vt tuum fiat meum; ſine tuo, qua promittentis, conſenſu accedente, eſt factum, quo ius in tuum adquiro. Quoniam vero hoc tuo conſenſu accedente ponitur pactum, etiam *acceptatio promiſſionem praecedens hac ſecuta eſt valida.* Ergo 1) POLLICITATIO, ſiue concipiatur vt promiſſum cum acceptione alterius non coniunctum, ſiue vt promiſſum cum declaratione, nos nolle, vt alteri ius exigendi praeſtationem competat §. 174, *obligationem ad praeſtandum*, vti pactum, *non operatur.* 2) VOTVM hoc eſt, propoſitum ſpecialius, aliquid praeſtandi in beneplacitum dei; quatenus caret acceptante homine, *inter homines hoc eſt, in foro externo vim pacti habere nequit.* 3) Neque ideo pactum, vt ſit validum, *per ſe* et neceſſario requirit *triplex factum*; tametſi pro datis circumſtantiis vel pluribus demum factis vtrinque ſuſceptis ſaepius perficiatur.

§. 179.

§. 179.

Tandem e) *voluntas* vtriusque exiſtere debet *eadem*: quae identitas voluntatis inuoluit et identitatem in *conceptu* de eo, quod praeſtandum eſt; et *in tempore*, vt ſimul exiſtat voluntas et promittentis et acceptantis, ſeu vt ſit VOLVNTAS SIMVLTANEA. Non enim tecum conſentio, ſi non volo id, quod tu vis §. 166. Ergo ſi, quod tu nunc demum vis, ego tantum olim volui, nunc autem nolo; non adeſt conſenſus, ſed potius DISSENSVS; id eſt declaratio, me velle contrarium eius, quod alter vult.

§. 180.

Si diuerſum de obiecto praeſtando conceptum habent paciſcentes, ita vt promiſſio ſit *actio ex errore* §. 125. h. e., vt promittens in tali errore ſit conſtitutus, vt non conſenſiſſet, niſi erraſſet; diſtinguendi ſunt caſus. Scilicet erroris in paciſcendo cauſſa ſeu auctor eſt aut *alteruter* aut *neuter* paciſcentium. Priori caſu eius auctor eſt aut errans ipſe, hoc eſt ipſe *promiſſor*; aut alter paciſcens, ideoque *acceptans*.

Quodſi

Quodſi *promiſſor*, qui *ſui erroris* ipſe eſt *cauſſa*, pactum ceteroquin validum non ſeruat; agit contra voluntatis ſuae declarationem ſufficientem, ergo contra ius alterius paciſcentis, ideoque contra *obligationem ſuam* §. 165. Quare quum ex tali pacto obligetur, illud eſt validum. Hoc itaque caſu *error in paciſcendo imputatur* ipſi *erranti*.

Pone vero non ipſum errantem Caium promiſſorem, ſed alterum potius paciſcentem Titium, qua *acceptantem*, eſſe *cauſſam erroris*, qui ad promittendum impellit Caium: hoc caſu Titius Caium fallere intendit §. 95. Qui fallacia quadam alterum inducit, ad promittendum pacto, ideoque ea intentione, vt ipſe alienum adquirat; eſt cauſſa, 1) vt alter non vere conſentiat, et ſimul 2) vt ſuum alterius imminuatur. Ergo ſi cogit alterum, ad promiſſum ſeruandum, imminuit ſuum alterius citra eius conſenſum, ſeu alienum aufert alteri inuito, ideoque errantem, *laedit*, hinc *fraudem* committit §. 95; nec conſequenter adquirit ex tali pacto, nec errans ex eodem obligatur, ideoque tale *pactum*, quo quis fraude promiſſarii inducitur ad promittendum, eſt

 inua-

inualidum. Atque tale *pactum* vocari etiam ſolet *dolo* ſuperſtructum. Hoc caſu *error imputatur fraudatori.* Ergo generalius: *error in pacto nocet* (imputandus eſt) *ei paciſcentium, qui erroris eſt cauſſa.*

Si tandem *neuter paciſcentium* eſt *cauſſa erroris* in paciſcendo: is, qui niſi erraſſet, nec promiſiſſet; non vere vult, nec per conſequens vere conſentit. Talis itaque *error* tollit conſenſum, *tollit pacti veritatem* §. 173, nihilque propterea operatur.

§. 181.

Porro quo pactum ſit validum neceſſe eſt, II. vt *pacto non obſtet impedimentum* vel *phyſicum* vel *legale.* Ergo neceſſe eſt 1) *vt obiectum praeſtandum phyſice praeſtari poſſit.* Quum enim vltra poſſe nemo obligetur §. 8.; nec promiſſor naturaliter praeſtare obligatur id, quod phyſice nequit praeſtare. 2) Vt pactum *careat iniuſtitia.* Itaque requiritur a) ex parte promittentis *ius promittendi*; promiſſio facti illiciti (iniuſti, turpis) laeſionem continet. De alieno diſponere, ergo et illud promittere tertio lex vetat §. 145. et

et 167. Omne obiectum praeſtandum, quod legaliter praeſtari nequit, reddit pactum inualidum. b) Requiritur ex parte acceptantis *ius acceptandi.* Qui facto iniuſto ad promittendum alterum compellit, adquirere ex tali pacto legaliter nequit.

Conſenſus eius, qui non conſenſiſſet, niſi vim alterius metuiſſet, dicitur EXTORTVS CONSENSVS, reliquus vero VLTRONIVS: vnde et *pactum*, prouti continet conſenſum transferentis et promittentis extortum vel minus, appellatur EXTORTVM vel VLTRONEVM. Quum transferre ius ſuum et promittere naturaliter ſint res merae voluntatis §. 83; *pactum validum naturaliter requirit conſenſum vltroneum, extortus vero pactum vitiat.* Hinc *non niſi vltroneum pactum naturaliter validum eſt*, quum *pactum extortum* (vi vel metu) *naturaliter ſit iniuſtum.* Intelligitur ſimul noua ratio, quae obſtat validitati pacti dolo ſuperſtructi §. 180.

TITVLVS VII.

DE

EFFECTIBVS PACTI.

§. 182.

Stabilitis *pacti validi* requiſitis ad eiusdem *effectus* deſcendimus. REVOCATIO eſt declaratio mentis, declarationi priori contraria, REVOCATIO PROMISSI eſt declaratio, ſe promiſſum ſeruare nolle. Promiſſum nondum acceptatum nondum efficit obligationem §. 177, ideoque iuſte reuocari poteſt; acceptatum obligat, ideoque a promiſſore per ſe conſiderato niſi iniuſte reuocari nequit. Eatenus *pactum dat ius irreuocabile*, imponit *obligationem irreuocabilem* (perſeuerandi neceſſitatem, et *ei*, *qui pacto aliquid promiſit*, *non licet poenitere promiſſi.*

Patet hinc etiam, quemlibet praeter obligationem, quam lex naturalis ipſi immediate conſtituit, ſibi pro arbitrio ſuo mediante pacto obligationem conſtituere poſſe. Ergo *omnis obligatio* eſt vel *ex lege* (tantum ſeu immediate, puta ſine interueniente voluntate perſonae obligatae) vel

ex

Digitized by Google

ex pacto (ſimul, quoniam obligatio ex pacto vim ſuam etiam e lege naturali ad pacta ſeruanda deducit §. 171.).

* Ex obligatione pactitia ſi efformas propoſitionem, haec erit obligatoria, ideoque lex §. 32. Hinc *pacta dant legem inter paciſcentes.*

§. 183.

DEBET (*ſpeciatim*, ſumitur enim ſubinde *generalius* pro *obligari*), qui obligatur ad aliquid alteri praeſtandum. Qui debet, eſt DEBITOR, et obiectum praeſtandum, quod quis debet, ſeu id, ad quod praeſtandum obligatur, eius eſt DEBITVM. *Promittens* igitur, qui, *quod valide promiſit*, *nondum praeſtitit*; *fit debitor acceptantis* §. 171. Praeſtatio debiti eſt eius SOLVTIO, ergo *debitum eſt ſoluendum*, hinc etiam quod ex pacto debetur, a promiſſore promiſſario ſoluendum.

§. 184.

FIDELITAS *iuridica* (fides pactitia, actiua) eſt iuſtitia in ſeruandis pactis, et qui in ſeruan-

Digitized by Google

dis pactis eſt iuſtus, FIDELIS eſt. Qui pacto valido promittit, ſe aliquid alteri ſpraeſtiturum, FIDEM DARE (obſtringere); qui tale promiſſum ſeruat, FIDEM DATAM LIBERARE; qui non ſeruat, quum ſeruare poſſit, fidem FALLERE (deſerere) dicitur. Quamobrem *fides data eſt liberanda*, hinc *non fallenda*. Violatio doloſa datae fidei eſt PERFIDIA, perfidiae reus eſt PERFIDVS.

Iudicium aliorum, quo alicui fidelitatem, (fidem actiuam, vtrumque ſenſu Iuris Externi) tribuunt, eſt FIDES PASSIVA (pactitia), quae pertinet ad exiſtimationem bonam ſimplicem, in quam cuique ius eſt connatum §. 97. Hinc *quilibet praeſumendus fidelis*, *nemo perfidus* §. 98.

§. 185.

Quum conſenſus reciprocus ad transferendum ius in obiectum praeſtandum ſufficiat §. 166; *quidquid et quantum iuris a promittente acceptanti promittitur, illud et tantum ab illo transfertur et ab hoc adquiritur* §. 171. *Non ergo plus iuris acceptatione adquiri poteſt*, quam *quantum*

pro-

promittens transferre in alterum *voluit*, hoc eſt velle ſufficienter declarauit.

§. 186.

Si ergo pacto transfertur ius in obiectum praeſtandum, illud fit ſuum acceptantis, in quod ipſi ius eſt, a nemine violandum, hinc quod coniunctum cum iure, ne quis id violet. Eatenus *generatim* acceptanti ex pacto naſcitur *ius in quemlibet, ne violet ius illud ſuum pacto adquiſitum.*

Quatenus vero, quod vi pacti praeſtari debet, nondum eſt praeſtitum; *ſpeciatim* acceptanti ex pacto naſcitur *ius in promiſſorem, vt praeſtet*; quod ius ortum ex facto et voluntate eius, qui promiſit, naturaliter eſt ius, cuius correlata obligatio certae dumtaxat perſonae incumbit, indeque vocatur IVS PERSONALE. Ceterum ius illud generale competens acceptanti in quemlibet ſeu promiſcue in omnes, ne quis violet ius ſuum e pacto quaeſitum, quod ideo eſt *ius non-perſonale (vniuerſale)*, etiam vim ſuam ante praeſtationem exſerit, e. g. in iure non patiendi, vt quis promittentem in praeſtando impediat.

Digitized by Google

§. 187.

Obiectum praeſtandum pacto promiſſum poteſt eſſe, vt diximus §. 170, vel *merum factum*, vel *res* vel *ius* quodlibet; quod phyſice et legaliter transferri in alterum poteſt.

Quod ad *facta* attinet, promitti poteſt et factum commiſſiuum, et factum omiſſiuum, quo etiam pertinet patientia facti alterius, ſeu breuius: promitti poteſt et factum et non-factum. Factum itaque commiſſiuum praeſtatur committendo, omiſſiuum omittendo, vel ſpeciatim patiendo, vt alter aliquid faciat.

Si factum pacto promiſſum nondum eſt praeſtitum; acceptanti competit 1) *ius perſonale in promiſſorem*, vt id praeſtet faciendo, vel non faciendo, vel patiendo, vt ipſe faciat, 2) *ius in quemlibet tertium, ne promiſſorem vel impediat in faciendo, vel cogat ad committendum, quod contrarium eſt datae fidei.*

§. 188.

Quod vero concernit *res* et *iura intuitu rerum*; *ſi pacto alienatur res in ſpecie* (ſingularis, indiuidua); poſito pacto dominium huius rei adquiſitum

quiſitum eſt acceptanti §. 160. et 168, *Quodſi res nondum tradita; competit acceptanti* 1) *ius in promittentem ad rem tradendam*, ius perſonale; 2) *ius in quemlibet, ne promittentem in tradendo rem vel ipſum acceptantem in accipiendo rem impediat* §. 186. Ceterum 3) *ius acceptantis ex tali pacto* eſt ius, quod rei promiſſae ideoque certae rei adhaeret, IVS REALE (*in re*). Et quum domino rei competat ius illam poſſidendi proprium §. 143, ideoque excludere quemlibet a poſſeſſione rei ſuae, ergo etiam quemlibet eius rei poſſeſſorem ad eam ſibi tradendam adigere poſſit; inde conſequitur, *vt tali acceptanti eo caſu, ſi res non a promittente poſſideatur, nec phyſice ab eo tradi poſſit, ius competat in quemlibet rei ſuae poſſeſſorem, vt eam ſibi tradat.* Quod ius acceptantis eſt conſectarium iuris ſui realis. Eadem demonſtratio mutatis mutandis valet de *iuribus in re* ſingulari pacto alienatis.

§. 189.

Si quis rem ſingularem pacto alienat; poſito pacto ponitur acceptans huius rei dominus. Si promittens rem acceptanti poſtea tradit; poſita

 tradi-

Digitized by Google

traditione ponitur acceptans huius rei poſſeſſor §. 120. Itaque *per traditionem* eo caſu *acceptans incipit habere facultatem phyſicam*, *re vtendi* cum aliorum excluſione; *non vero tum demum* incipit obtinere *facultatem legalem*, *re vtendi* cum aliorum excluſione, ſeu habere ius proprium in re; quum illud ius ipſi iam ex tempore pacti ſanciti competat, ideoque non demum ex tempore rei traditae ei naſcatur. Hoc itaque caſu traditio non confert ius nouum acceptanti, ſed poſſeſſionem dumtaxat ipſi tribuit. Eatenus *traditio ad transferendum dominium naturaliter non requiritur*. Atque hoc itidem ad iura in re pacto alienata poteſt applicari.

Quamobrem Iure Naturali admitti nequit diſcrimen iurium, quod leges Romanae conſtituunt circa pacta de rebus in ſpecie alienatis ante earum traditionem atque poſt earum traditionem: vt ſcilicet *re* demum *tradita* acceptanti competat dominium et *ius reale* (quod ſpeciatim I. R. vocatur *ius in re*), ideoque tale, quod datur *contra quemlibet* eius rei *poſſeſſorem*; *ante* vero *traditionem* ipſi non competat, niſi merum *ius perſonale* in promittentem ad rem tradendam (*ius ad rem* ſeu *non-reale*).

§. 190.

§. 190.

Ergo promittens eamdem rem ſingularem vel ius in re, quam vel quod pacto alienauit, tertio poſtea iterum promittere nequit §. 181. Eo enim ipſo momento, quo pactum eſt ſancitum, talis res vel ius tale ceſſat eſſe ſuum promittentis, et euadit alienum. Eatenus *pactum prius derogat pacto poſteriori.*

§. 191.

Quodſi pacto alienatur res in genere, hoc eſt res indeterminata certae ſpeciei (quo et pertinet plerumque *quantum rerum*, hoc eſt complexus rerum definitae quantitatis); *et talis res in genere nondum tradita fuerit: a promittentis arbitrio* adhuc *dependet ius determinandi* (*eligendi*), *quamnam rem indiuiduam ex conuento rerum genere alteri dare velit* §. 185. Itaque ex ipſa talis pacti natura patet, nullam rem in ſpecie dici poſſe adquirentis, ante quam declarando determinauerit eam promittens; quae declaratio vel in ipſa traditione continétur, vel ſeparato fieri actu poteſt ex. gr. demonſtrato rei corpore. Ergo hoc caſu *ex declaratione demum* tali *promittentis na-*

ſcitur

Digitized by Google

ſciter acceptanti ius certae rei inhaerens, *ius reale*: *ante* hanc *declarationem* ſeu ex ſolo pacto *competit acceptanti dumtaxat ius in promittentem*, *vt ſignificet*, *quamnam rem in ſpecie ex genere promiſſo eſſe velit acceptantis*, ideoque vt aliquid ſimpliciter faciat, conſequenter *ius* dumtaxat *perſonale*; *ſimul tamen etiam ius in quemlibet*, *ne impediat promittentem in hoc facto peragendo.* Atque hoc ius perſonale, quatenus excludit adhuc ius certae rei adhaerens, neque ideo extenditur in quemlibet rei poſſeſſorem, eſt *ius non-reale* (quod ICtis Romanis dici ſolet *ius ad rem*) et oppoſitum iuris realis.

§. 192.

Quod *ſi certus rei* aut *iuris vſus alteri conceditur*; non quidem res vel ius illud alienatur, ſed tamen transfertur ideoque *alienatur ius ad certos actus* circa talem rem vel vi talis iuris ſuſcipiendos §. 164. Hinc *pacto tali poſito ponitur ius acceptantis* 1) *in quemlibet*, ne in hoc vſu rei vel iuris ſibi conceſſi impediatur; et quatenus promiſſor pactum nondum adimpleuit, 2) *ius perſonale in promiſſorem*, vt adimpleat, con-

ſequen-

Digitized by Google

ſequenter vt patiatur, quo acceptans re illa vel iura actu vtatur, ideoque ſi ſine traditione vti non detur, ius exigendi traditionem eius rei vel iuris, cuius vſus ipſi pacto eſt conceſſus.

§. 193.

Ex quo tempore pactum eſt ſancitum, ex eo obiectum praeſtandum fit ſuum acceptantis. Ergo promittens praeſtare, quod valide promiſit, tenetur, ex quo praeſtationem poſtulat acceptans, et quam primum ipſe praeſtare poteſt. Quare debitum eſt ſoluendum §. 183, fides data liberanda §. 184, factum promiſſum faciendum, res vel ius pacto alienatum tradendum §. 188. 191, actus, ad vſum rei vel iuris conceſſum pertinentes, actu permittendi §. 192; vno verbo: *promiſſis ſtandum, quam primum, exigente adquirente, illud ab alienante fieri poteſt.*

§. 194.

Sub quibus *determinationibus* (conditionibus latius) ſeu *quo modo promittens pacto valido aliquid promittit; ſub iisdem determinationibus* ſeu eodem

+ determinatio nil aliud est, quam positio rei.
x pactum tres partes conficit. prima est essentialis sine qua pactum consistere nequit. personae enim esse debent creditor et debitor. 2) naturalis, talia sunt requisita, quae [illegible] pacta sunt, sine quibus vero pactum omnino existere potest. 3) accidentales propriae non ad pactum pertinentia requisita sunt sed quae tantum per certas particulares conditiones adduntur.

Digitized by Google

eodem modo acceptans illud adquirit, et promittens idem praeſtare obligatur. DETERMINATIO *iuris* et *obligationis pactitiae* alia ex conceptu (natura, eſſentia) pacti colligi poteſt, alia ex declarata demum voluntate paciſcentium conſtituitur; illa eſt ESSENTIALIS (naturalis latius d., ſubſtantialis, conditio tacita), haec ARBITRARIA.

Ad *naturalia pacti* hoc eſt determinationes naturales (ſtrictius d.) iuris et obligationis pactitiae *referri* etiam *ſolent*, *quae plerumque tali pactioni inſunt.* Ad arbitrarias determinationes pertinent tum illae, quibus, quod Iure Naturali ſufficienter determinatum non eſt, magis determinatur; tum etiam, quibus naturalis plane tollitur.

Quum enim paciſci ſit res meri arbitrii §. 83; ſequitur, vt paciſcentes determinationem arbitrariam etiam eſſentiali contrariam, hinc talem, qua eſſentialis determinatio tollitur, pacto adiicere poſſint, ideoque, adiecta omnis ſit valida, quoad fieri poteſt. Quamobrem *determinationes iuris et obligationis pactitiae eſſentiales et naturales tantum eatenus valent, quatenus contrarium*

+circa eſſentialia determinatio plane impoſſibilis eſt: eſſentialia enim ſunt aeterna. non

non fuit ſtipulatum (in contrarium non conſenſerunt paciſcentes).

* Ergo ſi *tempus* pacto determinatum, quo promiſſum eſt *praeſtandum*; tempore praefixo demum praeſtationem exigere poteſt acceptans, non ſtatim pacto ſancito ſecundum §. 193.

Si *tempus* determinatum, ad cuius terminum dumtaxat *pactum valere* debeat; acceptans nec ius nanciſcitur perpetuum ſecundum §. 81, ſed dumtaxat ad tempus illud definitum.

Si res *reuocabiliter* translata, vt ſcilicet promittens a re alienata rurſus alterum excludere poſſit, ſi aliquando ſibi viſum fuerit: tale pactum non tribuit promittenti obligationem irreuocabilem, nec poenitere promiſſi prohibetur ſecundum §. 182; ſed reuocare promiſſum ipſi licet, et.

§. 195.

Conditio in Iure *ſtrictius* dicitur euentus incertus, a cuius exiſtentia pendet ius vel obligatio. Euentus vel poſitiue vel negatiue concipitur, vnde conditio eſt vel positiva vel negativa. Conditio porro eſt potestativa; ſi pendet ab arbitrio eius, in quem ſub ea

Digitized by Google

ius transfertur: CASVALIS; ſi a fortuna: MIXTA; ſi partim eſt poteſtatiua, partim caſualis. CONDITIO, quae differt ius vel obligationem, donec certum ſit, ipſam exiſtere; eſt SVSPENSIVA: quae contra conſtituit ius vel obligationem duraturam: donec ipſam exiſtere certum ſit; eſt RESOLVTIVA.

§. 196.

Omni conditioni pacto adiectae ſtandum, quatenus in eam valide conſenſere paciſcentes §. 194. Vnde ipſa conditio vocatur *pactum adiectum* et *lex* pacto adiecta §. 182. *not.* Quare *ſi quid promiſſum ſub conditione ſuſpenſiua*, quae *natura* vel *lege* eſt *impoſſibilis*, *pactum eſt inualidum* §. 172.

Ad pacta ſub conditione ſuſpenſiua referri debent ea, quae *aleam* continent, id eſt conditionem, in qua fortuna dominatur, e. g. *lottaria*, *olla fortunae*, *pactum luſorium*, *ſors*, *ſponſio* (die Wette), *emtio ſpei*, *aſſecuratio*, cet.

1. Carl. Otton. RECHENBERG prog. *de erroribus ICtorum in ſponſionum doctrina*, Lipſ. 1738. 4.

2. lo.

2. Io. Vlr. Cramer ſpecimen Iuris Naturalis de *aequitate in probabilibus exemplo emtionis ſpei*, Marburg. 1731.

§. 197.

Si quis rem alieam, ſine conſenſu domini alienat; ius domini violat, hinc pactum ſancit inualidum §. 181, ideoque *tali conuentione quum nihil alienari poſſit, nihil etiam adquiri poteſt.* Sed datur tamen *alienatio* et promiſſio bona fide facta, adeoque *putatiua*: datur etiam *acceptatio* bona fide facta ſeu *putatiua*, hinc *adquiſitio* e pacto *putatiua*; vnde et concipi poteſt *pactum putatiuum*, qua *modus* tum *alienandi* tum *adquirendi putatiuus* §. 132. Qui rem a non-domino ſibi alienatam bona fide acceptat, ſiue putet, promiſſorem eſſe dominum, ſiue putet, promiſſionem factam cum conſenſu domini; adquirit eam, donec ipſi verus dominus manifeſtetur priori caſu; aut poſteriori, donec dominus diſſenſum ſuum declarauerit. Itaque ex pacto putatiuo *dominium putatiuum*, eamdemque ob rationem etiam *ius in re putatiuum*, *certus rei* vel *iuris vſus putatiue* adquiri poteſt; et talis acceptans, re ſibi tradita, fit eius poſſeſ-

Digitized by Google

ſor bonae fidei §. 129. et *ſequ.* atque ita ob analogiam rationis etiam *ius* poſſidere bona fide, atque re vel iure *vti* bona fide poteſt.

TITVLVS VIII.

DE PRETIO ET PECVNIA.

§. 198.

GRATIS praeſtat, qui pro eo, quod alteri praeſtat, ab eodem nihil recipit: MVTVO autem ſibi praeſtant, quorum vterque pro eo, quod alteri praeſtat, aliquid ab ipſo recipit. PACTVM, quod continet praeſtationem gratuitam, dicitur BENEFICVM (gratuitum); quod praeſtationem mutuam, ONEROSVM (permutatorium, *permutatio* latius dicta).

§. 199.

In pactis oneroſis, ſicubi neuter paciſcentium aliquid gratis praeſtare vult; vterque intendit,

vt,

Digitized by Google

vt, quod transfert in alterum, non minoris ſit vtilitatis eo, quod viciſſim recipit, ſeu vt tantum recipiat, quantum transfert, ideoque vt ſit aequale ratione vtilitatis, quod mutuo transfertur. Hunc in finem comparanda inter ſe inuicem obiecta permutanda, et quantum vtilitatis ſuum cuique tribuendum, vt eorumdem aequalitas, quoad fieri poſſet, ſtabiliretur.

§. 200.

Quantitas perfectionis *in genere*, et *ſpeciatim* quantitas vtilitatis, quae obiecto cuidam tribuitur, eius VALOR; valorem definire (determinare), AESTIMARE; valor determinatus PRETIVM appellatur. Itaque *rebus*, *iuribus*, *factis* et praecipue operi, *quidquid permutandum*, et generalius, *quidquid aeſtimandum erat; ei pretium conſtitui coepit.*

§. 201.

Res, iura, facta permutantur ex ea potiſſimum cauſſa, vt mutuae indigentiae ſubueniatur, conſequenter plerumque ſunt obiecta non *eiusdem generis*, HOMOGENEA; ſed *diuerſi*, HETERO-

GENERA. Quod hinc pari etiam modo de eorumdem vtilitatibus affirmari debet. Porro valor et pretium inuoluunt relationem quanti, ſeu *rationem* (mathematicam) duorum obiectorum. Obiecta heterogenea rationem *phyſicam* ſeu naturalem non habent; ergo, quae ipſis tribuitur, hominum *arbitrio* tribuitur. Atque eatenus, hinc *plerumque valor* et *pretium inuoluunt quantum arbitrarium* et *fictum*.

§. 202.

Id, ex quo definitur alterius obiecti valor, elus eſt 1) *menſura*, et quatenus exprimit identitatem valoris cum altero, ſeu aequalitatem ratione vtilitatis, eſt 2) eius AEQVIVALENS. Pretium τȣ A cogitari nequit niſi aſſumto alio B, ex quo aeſtimetur valor τȣ A. Ergo quod aſſumitur B, eſt menſura aequiualens τȣ A. Quamobrem *quidquid exprimit pretium alterius obiecti, id eidem reſpectu valoris ſubſtitui*, atque *ideo pro eodem ſine detrimento permutari poteſt* §. 199.

§. 203.

Cuilibet vi libertatis naturalis *rebus*, *iuribus*, *factis* et *operis* ſuis *pretium* maius vel minus *pro lu-*

lubitu tribuendi, illudque omni momento *immutandi*, *augendi*, *imminuendi*, prout ſibi videtur, ita *ius eſt.* Hinc *ſtandum naturaliter cuiusuis iudicio in determinando pretio eius*, *quod ſuum eſt.*

§. 204.

Quum pretium plerumque ſit ficta quantitas §. 201; cuiuslibet obiecti ex altero aeſtimandi vel cum eo permutandi pretium ex quantitate alterius cuiuscumque pro arbitrio hominum determinari, et hinc quodlibet obiectum alteri ſubſtituendum alterius cuiuslibet aequiualens et menſura pretii eſſe poteſt. Atque hoc pretium alicuius obiecti, per quantitatem cuiuslibet alterius promiſcue determinatum, eſt PRETIVM VVLGARE.

§. 205.

Pretium vulgare perquam difficulter ſaepius ad permutanda obiecta adhibetur. Quod ſi enim, vti ſolet, contingat, vt, quum tu haberes, quod ego deſiderarem; inuicem ego non haberem, quod tu recipere velles: qua ratione pretium vulgare indigentiae mutuae ſubuenire poteſt? Hinc

Digitized by Google

vt rerum aliorumque obiectorum pretium tanto facilius et in communem omnium vtilitatem definiri poſſet; aſſumta eſt quantitas phyſica rei cuiusdam determinata, ex qua illud metiri daretur. Et res iſta, cuius definita quaedam quantitas phyſica ſumitur pro menſura pretii obiectorum quorumuis aeſtimandorum, PECVNIA vocatur. Pars certa pecuniae ſignata MONETA (nummus eſt.

§. 206.

Ergo *pecunia aſſumta eſt* tamquam menſura pretii et tamquam aequiualens rerum, iurium, operarum omniumque eorum, quae aeſtimanda veniunt §. 202, ideoque *tamquam pretii eorumdem menſura vniuerſalis* et *aequiualens vniuerſale*. Hinc certa pecuniae quantitas ſubſtitui poſſe omnibus obiectis permutandis iudicatur §. 202. Atque hoc pretium alicuius obiecti per quantitatem pecuniae definitum dicitur PRETIVM EMINENS.

§. 207.

Pecuniae igitur vſus praecipuus eſt, vt, ceu aequiualens omnium obiectorum aeſtimandorum, qui-

Digitized by Google

quibuslibet rebus, iuribus, factis ſubſtitui, et cum iis permutari facilius quam aliud quidquam poſſit. Cumque haec permutatio fiat alienatione pecuniae; clarum eſt, *pecuniae vſum praecipuum et ordinarium conſiſtere in aliendo.*

TITVLVS IX.

DE PACTIS BENEFICIS ET ONEROSIS.

§. 208.

Pacto gratuito quod promitti et transferri in alterum poteſt, generatim eſt dandum vel faciendum; ſeu eſt factum §. 187, vel res, vel quodlibet aliud ius, quoad impedimentum phyſicum aut legale non obſtiterit.

Speciatim *quoad rem*, pacto gratuito et res ipſa, et quodlibet ius in dominio contentum alienari; hinc condominium, ius in re, communio iuris in re, dominium directum vel vtile, ſerui-

tus quaelibet alteri conſtitui §. 161. et 162; vel etiam certus rei aut iuris in dominio contenti vſus alteri concedi §. 163. poteſt.

Porro et *ius perſonale* §. 186, et ſi quod aliud datur *ius in aliam perſonam* adquiſitum, quod transferre poſſumus phyſice nec prohibemur lege; illud etiam gratis alteri praeſtari. hinc pacto gratuito vel quoad ſubſtantiam vel quoad certum vſum §. 164. alteri valide promitti poteſt.

Tandem etiam *facta* atque *non facta* et ſpeciatim *operae* pacto gratuito transferri in alterum poſſunt; quumque operae in vſu facultatum noſtrarum naturalium conſiſtant; promiſſioni operae reuera conceſſio vſus iuris in nosmetipſos ineſt.

Ceterum per ſe clarum eſt, poſſe etiam *plura praeſtanda ſimul* pactione vna comprehendi, vnde enaſcitur PACTVM COMPOSITVM, hoc eſt, quod reſolui poteſt in plura, quorum vnum, quodque per ſe ſubſiſtere poteſt, cui opponitur SIMPLEX, quod in plura talia reſolui nequit. Hinc et plura danda et facienda, facta, res, iura quaelibet vno pacto gratuito, tamquam conuentione compoſita, promitti poſſunt.

§. 209.

Digitized by Google

§. 209.

Pactum, quo res vel ius gratis alienatur, eſt DONATIO. Id quod donatur, eſt DONVM (munus); qui donum transfert, DONANS (donator); qui adquirit, DONATARIVS appellatur. Ergo 1) ſine acceptione nulla eſt donatio §. 178. 2) Quo modo et qua lege donatur donum transfert, eodem donum illud adquirit donatarius §. 194. 3) Nullum donanti ius in donum ſupereſt, niſi fuerit in paciſcendo reſeruatum hoc eſt quod ſibi reſeruatum velle donans in donando ſufficienter declarauerit §. 194. Donatio est contract. simplex, quo res in alterum transfertur gratis s. titulo benefico.

§. 210.

Pactum, quo certus rei vſus (*abuſui* §. 156. oppoſitus) alteri gratis conceditur, dicitur COMMODATVM (contractus commodati): qui vſum concedit, COMMODANS; is, cui conceditur, COMMODATARIVS vocatur.

Si certus rei vſus alteri conceditur; conſentiunt paciſcentes, vt commodatarius re vtatur ad certum finem, finitoque vſu eamdem commodanti reddat ſeu reſtituat in ſpecie. RESTITVIT nimirum REM IN SPECIE, qui numero ſeu numerice eamdem reddit; (quam accepit; IN GE-

NERE vero, qui aliam eiusdem generis vel tantumdem eiusdem generis reddit. Atque ex *hoc conſenſu* ac *intentione* paciſcentium huius contractus *ius* atque *obligatio* tum *commodantis* tum *commodatarii dimetienda eſt*; ideoque *commodatum eſt mere in vtilitatem commodatarii*, *manet tamen commodans rei commodatae dominus plenus* §. 185.

§. 211.

Quoniam res, cuius vſus alteri conceditur, in poteſtate alterius eſſe debet, vt eadem vti poſſit §. 120; *commodans obligatur* ad actum, quo res iſta conſtituitur in poteſtatem alterius, hinc *ad rem tradendam*; tum vero *commodatarius finito vſu conceſſo ad rem in ſpecie reddendam obligatur.*

§. 212.

Pactum, quo res aliena gratis cuſtodienda ſuscipitur, vocatur DEPOSITVM (contractus depoſiti). Qui rem ſuam cuſtodiendam alteri committit (tradit), DEPONENS; qui eius cuſtodiam gratis ſuſcipit (accipit), DEPOSITARIVS eſt.

Quum

Digitized by Google

Quum depoſitum omne in vtilitatem et gratiam ſolius deponentis conſtituatur, et deponens nec rem in alterum transferat, neque etiam eius vſum ipſi concedat; 1) *depoſitarius nec rei depoſitae eſt dominus, nec ea vti poteſt.* Porro 2) *depoſitarius obligatur, rem apud ſe depoſitam deponenti, quam primum eam repetit, reſtituere; neque tamen* 3) *ad eius cuſtodiam vltra tempus conuentum tenetur.*

* A donatione, commodato et depoſito diſtingui poteſt *pactum de donando, commodando* et *deponendo.* Quodſi haec pacta concipiuntur vt actus, quibus conſentitur dumtaxat in futuram alienationem, futuram vſus rei conceſſionem vel futuram obligationem ad operam cuſtodiae praeſtandam; haec conuentiones ad pacta praeparatoria pertinent §. 177.

§. 213.

Quum pactum onerosum contineat conſenſum in praeſtationem mutuam; §. 198. *pacto oneroſo vtrique ius adquiritur.* Quatenus igitur non ſtatim praeſtatur, in quod conſenſum; obligatio ad praeſtandum contrahitur, et ideo vtrinque con-

contrahi poteſt. Atque hoc caſu pactum oneroſum cum promiſſo vnius ſimul repromiſſum alterius continet. REPROMITTERE nempe dicor, ſi mihi promittenti aliquid viciſſim promitto.

§. 214.

Qui pactum oneroſum ineunt, plerumque intendunt, vt, quae ab ipſis mutuo transferuntur, ſint *aequalia* (ratione vtilitatis, hinc valoris et pretii, vno verbo aequiualentia §. 200 et 202). Conſequenter *in pactis oneroſis plerumque ad aequalem praeſtationem vtrinque reſpicitur* §. 199. Aſt vero aequalitas haec naturaliter a iudicio cuiuslibet dependet §. 203; ergo *in pacto oneroſo aequalia ſunt*, *quae* talia a contrahentibus iudicantur. Quum igitur quicumque contrahunt (contractum ineunt oneroſum), ipſo facto et tacite certe declarent, ſe iudicare aequalia ea, quae ſibi inuicem praeſtare promittunt; nemoque praeterea obligetur, in determinando pretio eius, quod ſuum eſt, iudicium aliorum ſequi §. 203: *cuilibet contrahenti ius eſt, id, quod transfert in alterum, non minoris pretii aeſtimandi eo, quod viciſſim recipit.* Ceterum

error

Digitized by Google

error et *dolus* in pacto oneroſo ex iisdem principiis, ex quibus error in pacto generatim, eſt diiudicandus §. 119.

* Exulat in Iure naturali principium decidendi, quod in legibus Romanis vel a iudicio *aequi rerum aeſtimatoris*, vel a ſic dicta LAESIONE deſumitur ENORMI, quae conſiſtit in detrimento contrahentis ex contractu oneroſo, quatenus vltra dimidium ſoliti pretii adſcendit.

§. 215.

In pacto oneroſo ab vtroque paciſcentium praeſtandum, ergo vel dandum vel faciendum quid promittitur §. 170. Inde *pacta oneroſa ſimplicia* ad tria genera reuocari poſſunt: 1) *do* (vel dabo) *vt des*, 2) *do vt facias*, 3) *facio vt facias*; *compoſita* ex horum ſimplicium compoſitione oriuntur. De cetero quidquid in alterum pacto poteſt transferri §. 208, illud et oneroſo pacto transferri poſſe per ſe patet.

§. 216.

Pactum, quo res vel ius pro certa pecuniae ſumma alienatur, dicitur EMTIO VENDITIO.

Qui

Emtio Vend. est contr. ... quo res pretio eminenti ... pecunia in alterum transfertur. Huic prox. est permutatio, quae est contractus simpl. quo res in alterum transfertur pro re.

Digitized by Google

Qui rem vel ius promittit, VENDITOR; qui pecuniam, EMTOR; id quod eſt venale ſpeciatimque res mobilis venalis, MERX dicitur. *Si res in ſpecie vendita; eius rei dominium ſtatim a ſancito contractu tranſit in emtorem* §. 188., *pecuniae* vero, qua *rei in genere promiſſae, dominium non adquirit emtor, niſi ea tradita vel demonſtrato eius corpore* §. 191. *Venditor rem venditam tradere, et emtor ſoluere pecuniam ſtatim perfecto contractu obligatur* §. 193; *niſi aliud ſtipulatum* (expreſſe conuentum): quo pertinet, ſi venditor mercem tradens fidem de pretio habet emtori, aut vice verſa ſi emtor pecuniam ſoluens fidem venditoris ſequitur.

§. 217.

Pactum, quo certus rei vel iuris vſus §. 211. conceditur aut certa opera promittitur pro certa pecuniae ſumma, vocatur LOCATIO CONDVCTIO. Ipſa pecuniae ſumma hoc caſu dicitur MERCES. Qui in hoc contractu vſum rei vel iuris concedit, eſt LOCATOR REI, IVRIS; qui operas ſuas promittit, LOCATOR OPERARVM: qui mercedem promittit pro vſu rei vel iuris, eſt

CON-

Digitized by Google

CONDVCTOR REI, IVRIS; qui pro operiſ, CONDVCTOR OPERARVM. Conductor aedium eſt INQVILINVS; agri COLONVS. Si conductor rem, ius, operas ſibi locatas alii locet; locatio ab ipſo facta eſt SVBLOCATIO.

Quum res locata ex fine huius contractus maneat in locatoris dominio; *locator rem locatam tertio vendere* et generalius *alienare poteſt*, *conductori tamen ius ſuum ex hoc contractu quaeſitum*, vtendi re ad certum finem, et ſi tempus certum adiectum, ad terminum conuentum, tali alienatione *auferre nequit.*

§. 218.

In emtione venditione et locatione conductione ab alterutro paciſcentium pecunia ſoluenda eſt §. 216. 217, et conſequenter vterque contractus interueniente pecunia ſancitur. Pactum oneroſum, quod ſine interueniente pecunia ſancitur, eſt PERMVTATIO *ſtrictius* dicta (conf. §. 198.), cuius plures concipi poſſunt ſpecies §. 208. Generatim vero *permutatio ſimplex* continet pactum 1) *do* (dabo) *vt des*, vel 2) *do vt facias*, vel 3) *facio vt facias*, §. 215; ea autem, quae

ex

ex his ſimplicibus coaleſcit, eſt *permutatio compoſita.*

§. 219.

Pactum, quo res alienatur, vt in genere aliquando reſtituatur, dicitur MVTVVM (contractus mutui). Vnde concipitur MVTVANS, qui hoc contractu rem alienat, et MVTVATARIVS, qui eam adquirit. Re itaque tradita mutuatarius fit debitor mutuantis §. 183, mutuans contra fit mutuatarii CREDITOR hoc eſt qui ius habet in alterum qua ſibi debitorem ex mutuo, vnde et res mutuata, quae reſpectu mutuatarii eſt debitum §. 183, reſpectu mutuantis vocatur CREDITVM. Extenditur tamen ſubinde vocabulum *creditoris* et *crediti* ad alios contractus, quatenus in iis fidem alterius ſequimur. Intentio contrahentium in hoc pacto eo redit, vt mutuatarius rei mutuatae fiat dominus, redditurus eamdem in genere, quo mutuans, quantum dederit, tantumdem (aequiualens) recipiat. Hinc circa eas res potiſſimum contrahitur mutuum, quarum vſus ordinarius in conſumtione vel alienatione conſiſtit, quaeque adeo reſtitui in ſpecie nequeunt. *Quatenus*

tenus res hoc pacto alienata, *in genere tantum* (quod ſit plerumque) *promittitur*; *mutuatarius talis rei fit dominus non a termino promiſſionis*, *ſed dationis vel demonſtrationis* §. 191. Si quantum rerum et ſpeciatim certe pecuniae ſumma alienatur, vt tantumdem aliquando reddatur, contractus talismodi mutuum eſt.

§. 220.

Tradita re mutuata mutuatarius cum dominio ſimul poſſeſſionem atque vſum eius rei obtinet; reddita vero re mutuata mutuans cum dominio etiam poſſeſſionem et hinc vſum talis rei iterum nanciſcitur, tantumque ideo recipit, quantum antea dederat. Hanc itaque ob conſiderationem *mutuum aequipollet conceſſioni vſus rei ſuae.* Vſus rei concedi alteri poteſt vel gratis, vnde naſcitur *commodatum* §. 210, vel pro certo pretio et ſpeciatim pro pecunia, vnde exoritur *locatio conductio rei* §. 217; ſimilique ratione *mutuum eſſe poteſt et beneficum pactum* et *onerosum*; *priori caſu mutuum aequipollet commodato*, *poſteriori locationi conductioni rei.*

Pretium, quod pro vſu rei mutuo datae promittit mutuatarius, eſt VSVRA (ſoenus); mutuum ſub vſuris eſt CONTRACTVS FOENEBRIS (foeneratitius, vſurarius). *Vſura* ergo *aequipollet mercedi.* Quum igitur domino vi dominii liceat, pro conceſſione vſus rei ſuae obligare conductorem ad mercedem promittendam; multo magis licebit pro re mutuata ſibi ſtipulare vſuram.

* Frider. Guilielm. PESTEL diſſ. repraeſentans *fontem errorem de odio vſurarum legitimo detectum et obſtructum*, Rintel. 1753.
** diſſ. *ſur la legitimité des Interêts d'argent qui ont Cours dans le Commerce*, La Haye (Paris) 1756. 12.

§. 221.

PER ALIVM AGIS, ſi efficis, vt actio alterius ſit actio tua iuridice ſpectata. Is alius, per quem tu agis, agere NOMINE TVO, atque hinc, reſpectu ſui ipſius, eatenus NOMINE ALIENO (nomine alterius) agere, atque REPRAESENTARE (perſonam tuam ſuſtinere) dicitur. Ergo *qui nomine alterius agit*, *is* eatenus *iure al-*

terius

terius inſtructus eſt, *et obligatione alterius tenetur in agendo*, et *quod ius quaeue obligatio ex actione naſcitur, alteri adquiritur.*

SVSCIPIT NEGOTIVM ALTERIVS, qui ad aliquid nomine alterius faciendum, ſeu negotium aliquod nomine alterius peragendum ſeſe obligat. Pactum, quo quis negotium alterius ab eodem ipſi commiſſum ſuſcipit, vocatur MANDATVM (contractus mandati): qui ſuſcipit, MANDATARIVS (procurator); is cuius negotium ſuſcipitur, ſeu qui *committit* alteri negotium aliquod, MANDANS; et NEGOTIVM tale dicitur DEMANDATVM (commiſſum, fidei alterius concreditum).

§. 222.

Intentio contrahentium in hoc pacto eſt, vt mandatarius obligatus ſit, negotium ſibi commiſſum in vtilitatem mandantis quanta poteſt diligentia peragere, et mandans viciſſim obligatus ſit, id quod mandatarius intra fines mandati agat, tamquam a ſe ipſo actum agnoſcere.

Quoniam itaque mandatarius vi mandati agit nomine mandantis, eumque eatenus repraeſentat

Digitized by Google

§. 221.; 1) *mandatarius reſpectu negotii ſibi commiſſi inſtructus eſt eodem iure, et tenetur obligatione eadem; quo gaudet quaque tenetur reſpectu eiusdem negotii ipſe mandans intuitu cuiuslibet tertii* §. 221. 2) *Quidquid mandatarius agit intra fines mandati; illud* vigore pacti *eumdem habet effectum et reſpectu mandantis et reſpectu cuiuslibet tertii; ac ſi id egiſſet ipſe mandans, et* per conſequens *illud etiam ratum habere mandans obligatur. Quod quisque per alium facit, id ipſe feciſſe putandus eſt.* Quamobrem 3) quidquid mandatarius qua talis apprehendit, occupat, praeſtat traditue tertio, aut illi qua tali a tertio praeſtatur, traditur; id mandans ipſe conſendus eſt apprehendere, occupare, praeſtare, tradereue tertio, aut ipſi a tertio praeſtari tradiue. 4) Quidquid mandatarius qua talis, hoc eſt intra fines mandati, nomine mandantis declarat, promittit, acceptat, cet.; id ipſe mandans velle, alienare, adquirere intelligitur.

§. 223.

Mandatum gratuitum et *oneroſum* eſſe poteſt. Mandatum *oneroſum* differt a locatione conductio-

ctione operarum et pacto permutatorio *facio vt des vel facias*; quatenus mandatarii opera in conficiendo negotio ipſi commiſſo ſupponitur adeo praeſtans, vt certam aeſtimationem et pretium definitum non recipere iudicetur. Hinc quod mandatario pro opera ſua repromittitur, HONORARIVM vocatur.

* Reliquis *pactorum ſpecibus*, quae Iuribus tot diuerſarum Rerumpublicarum poſitiuis introducta reperiuntur, quum ſeges eorum ſit infinita; immorari nunc quidem haud licet: exceptis tamen, ſuoque loco commemorandis iis, ſine quorum explicatione ad vlteriorum Iuris Naturalis principiorum intelligentiam peruenire non datur.

** De cetero nunc euidens eſt, omne ius omnemque obligationem pactitiam vim atque validitatem ſuam nanciſci ex conſenſu ſeu *intentione* paciſcentium *valida*, hoc eſt quatenus id fieri phyſice et legaliter poteſt, quod paciſcentes pacto ſuo efficere volunt. Quodſi igitur *caſus* quidam *pactitius* ſecundum Iuris Naturalis normam decidendus proponitur: qui 1) *tenorem contractus* (determinationes et conditiones eius expreſſas) ſollicite examinat, 2) in *naturam negotii*, de quo contractum, cu-

 rate

Digitized by Google

rate inquirit, vt de intentione paciſcentium mutua tum generali tum ſpecialiori fiat certus, tum vero caſum in terminis 3) ad principia Iuris Nat. Pactitii a nobis hactenus ſtabilita rite applicat; errare facile in elicienda concluſione et caſus propoſiti deciſione non poterit.

TITVLVS X.

DE

CAVTIONE.

§. 224.

Pactis ſaepius accedit *cautio* et *iuramentum*, quae in eo generatim conueniunt, quod faciant ad nos in eo, quod noſtrum eſt, ſecuriores praeſtandos contra laeſiones aliorum, atque hinc ad confirmanda iura, quae nobis in alios competunt, corroborandasque obligationes aliorum nobis debitas, conſequenter 1) ad praecauendas laeſiones, aut certe 2) ad eo facilius damni dati reparationem conſequendam. Medium ſecuritatis quodlibet CAVTIO *in genere*; pactum in ſecu-

Digitized by Google

ſecuritatem a laeſione CAVTIO *in ſpecie* (iuridica) dicitur.

Qui cauet (cautionem praeſtat), eſt in hoc pacto promittens; acceptans contra is, cui cauetur (qui cautionem exigit), ideoque, quatenus cautio *ſecuritatem crediti* §. 219. concernit, *creditor*. Cautio in eum finem exigitur et praeſtatur, vt *ſi is, qui ad aliquid obligatur, obligationi ſuae non ſatisfecerit erga eum, cui cauetur*; *huic* tamen *inde nihil damni ſit metuendum*. Quamobrem *cautio inuoluit pactum ſub conditione ſuſpenſiua* initum §. 195.

§. 225.

Quoniam per pactum acceptanti ius adquiritur §. 171; *is, cui cauetur*, per cautionem *adquirit nouum ius* in ſecuritatem a laeſione, conſequenter *in ſecuritatem iuris prioris* §. 52. 53. quale ius, quod in ſecuritatem alius iuris adquiritur, vocatur IVS SVBSIDIARIVM (in ſubſidium); vnde ius illud prius hoc reſpectu appellatur IVS PRINCIPALE. Quodſi ius principale ſupponitur eſſe ius pactitium, ad praeſtandum ſcilicet id, quod pacto promiſſum eſt, ideoque

talis aſſumitur cautio, quae in ſecuritatem pacti adimplendi, et ſpeciatim in ſecuritatem crediti praeſtatur; cautio vocatur CONVENTIO ACCESSORIA, et hinc pactum illud, vnde ius principale deriuatur, CONVENTIO PRINCIPALIS.

§. 226.

Et quia cautio pactum inuoluit; quidquid ad validitatem pacti requiritur, id omne etiam, vt cautio ſubſiſtat, adeſſe debet. Porro ſecundum intentionem paciſcentium ius ex cautione non ponitur, niſi quatenus ponitur ius principale §. 224; ergo hac hypotheſi ſublata ipſum ius ex cautione tollitur. Quapropter *vt cautio ſit valida, requiritur* 1), *vt inuoluat pactum validum*, et 2) vt *ius principale*, in cuius ſecuritatem cautio praeſtatur, *ſit validum* ſeu verum. Hoc igitur ſenſu adfirmari poteſt, *cautionis eam eſſe indolem, vt per ſe ipſa minime ſubſiſtat, ſed ſequatur naturam iuris, cui adiungitur. Conuentio acceſſoria*, quae *conuentioni principali inualidae accedit, ipſa eſt inualida.*

§. 227.

Digitized by Google

§. 227.

Iura ſubſidiaria, quae in ſecuritatem iuris principalis adquiruntur per cautionem, vel in rem conſtituuntur, vel in perſonam. In *rem*, ſiue illud ſit dominium ſiue ius particulare quodlibet; in *perſonam* ad aliquid praeſtandum, ſiue illa perſona ſit *ipſe debitor* et generalius, is qui ex iure principali eſt obligatus, ſiue quilibet *alius*.

§. 228.

Pactum, quo quis creditori alterius promittit, quod ipſe praeſtare velit, niſi alter praeſtet, quod debet; eſt FIDEIVSSIO. Fideiuſſio itaque cautionem inuoluit §. 224, quae inde vocatur *cautio fideiuſſoria* (ſatisdatio, ſatispraeſtatio). In hoc pacto is, cui cauetur, ſolet vocari *creditor*; qui pro altero ſe obligat, FIDEIVSSOR; is vero, pro quo fideiubetur, DEBITOR PRINCIPALIS; vnde et poſterioris OBLIGATIO vocatur PRINCIPALIS; fideiuſſoris contra ACCESSORIA (ſubſidiaria). Ergo 1) *ſi principalis debitor debitum non ſoluit, fideiuſſor illud ſoluere tenetur*; 2) *ſi debitor principalis ſoluit, fideiuſſor liberatur.*

tur. Qui pro fideiuſſore, qua tali, fideiubet, eſt FIDEIVSSOR SVCCEDANEVS (ſubalternus, vicarius).

§. 229.

OPPIGNORATIO eſt actus, quo quis creditori ius in re (corporali vel incorporali) conſtituit, vt niſi debitum ſoluatur, ex eadem ipſi ſatisfiat. Itaque oppignoratio inuoluit cautionem §. 224, quae inde vocatur *cautio pignoratitia*. *Res oppignorata*, ſeu quae *creditori obligata* eſt, PIGNVS; et ius creditoris in rem ſibi oppignoratam, IVS PIGNORIS, vtrumque *generatim* vocatur. *Speciatim* vero, ſi res oppignoratur ita, vt creditor ſimul ius nanciſcatur, detinendi eamdem, donec debitum ſoluatur; talis res oppignorata, et tale ius creditoris vocatur PIGNVS et IVS PIGNORIS: ſin minus, hoc eſt, ſi res oppignoratur, non tamen ſimul ius eam detinendi in creditorem transfertur, donec ſoluatur debitum; res talis HYPOTHECA, et ius tale creditoris IVS HYPOTHECAE appellatur. Subinde tamen *pignus* et *hypotheca* deſignant ipſum *ius pignoris* et *hypothecae*.

Ita-

Digitized by Google

Itaque *in pignore* ſpeciatim dicto *creditori ius competit, illud retinendi, donec debitum ſoluatur; et niſi ſoluatur, ex eo ſibi ipſi ſatisfaciendi:* in *hypotheca* vero *tantum ius, ſi debitum non ſoluatur, efficiendi, vt ex hypotheca ipſi ſatisfiat. Creditor* ergo *pignore interim vti aut frui nequit, niſi hoc ipſi pacto adiecto concedatur:* quod pactum, quo creditori fructus rei oppignoratae loco vſurarum percipiendi conceduntur, eſt PACTVM ANTICHRETICVM. *Pignus* vel *hypotheca* LVITVR, ſi debitum ſoluitur, in cuius ſecuritatem ius pignoris vel hypothecae conſtitutum; ergo *luitione facta pignus reſtituendum,* et *hypotheca libera efficitur.*

TITV-

Digitized by Google

TITVLVS XI.

DE

IVRAMENTO.

§. 230.

CONTESTATVR, qui dicti ſui ſinceritatem verbis ſpecialioribus adfirmat. Finis conteſtationis (adſeruationis) eſt, vt alter certior fiat de mente noſtra, ſcilicet nos in iis, quae dicimus, ſincere loqui; conſequenter nos illud actu cogitare aut velle interne, quod cogitare aut velle expreſſis verbis declaramus §. 89. Itaque *conteſtando veritas* (moralis) *dictorum eius, qui aliquid adſeuerat, confirmatur.* Conteſtatio, qua quis promiſſum ſuum adimplendum confirmat, eſt PROMISSORIA; reliqua autem ADSERTORIA CONTESTATIO. *Conteſtatio promiſſoria* eſt *confirmatio fidei ſuae*, ſe ſcilicet, quam obſtrinxit alteri fidem ſuam, liberaturum eſſe §. 184.

§. 231.

Conteſtatio, qua deus tamquam teſtis veri et vindex falſi (veriloquii ſcilicet noſtri conſcius et pu-

Digitized by Google

punitурus falſiloquium doloſum §. 92. 94.) inuocatur, eſt IVRAMENTVM (iusiurandum). Ergo iuramentum, quemadmodum omnis conteſtatio, eſt vel PROMISSORIVM vel ADSERTORIVM §. praec.; et pactum, quod ſeruatum a ſe iri promittens iurat, eſt PACTVM IVRATVM.

§. 232.

Iuramenti finis eſt, vt is, cuius gratia iuratur, certior fiat de mente iurantis: et iuramenti promiſſorii finis ſpecialis eſt, vt acceptans certior fiat de fide promittentis. Quare iusiurandum eſt medium ſecuritatis eius, cui iuratur, vnde iuramentum promiſſorium nominari ſolet *cautio* (latius dicta) *iuratoria* §. 224.

Vt vero finis iſte obtineri poſſit, neceſſe eſt, vt iurans pro certo habeat, Deum exiſtere, eumque noſſe hominum cogitationes et intentiones, et punire mendacia atque perfidiam. Quare 1) *qui negat eſſe Deum*, aut *eum noſſe hominum cogitata*, vel *putat*, *eum res humanas parum curare; iurare nequit*, hoc eſt inutiliter iurat. Contra ea vero ſi quis, falſos Deos pro vero habens

iisque

iisque tribuens ea, quae de vero Deo pro certo habere debet iurans, iusiurandum praeſtat; vere iurat: quippe reſpectu ipſius perinde eſt ac ſi per verum Deum iuraſſet. Ergo 2) *idololatra per Deum ſuum falſum iurare poteſt.*

§. 233.

Certiores vero euadimus de mente iurantis mediante *nouo motiuo*, quo fortius adſtringitur ad ſinceritatem in iis, quae declarat, ſiue generatim in confitenda veritate, ſeu ſpeciatim in praeſtando promiſſo ſuo. Scilicet motiuum illud depromitur ex perfectionibus diuinis, omnipraeſentia nimirum, omniſcientia, omnipotentia, iuſtitia et ſanctitate Diuini Numinis. Atque hoc motiuum praegnantiſſimam eamque nouam obligationem ad ſinceritatem iuranti imponit reſpectu Dei §. 29; aſt vero reſpectu eius hominis, cui iuratur, obligationem nouam non parit.

* Ioh. Guilielm. DE GOEBEL *de origine, vſu et abuſu iuramentorum*, Helmſtad. 1738.

** Frider. Lebrecht STOLZENS *vernunftmäſſige Beurtheilung der heutigen Eydſchwüre*, Lipſ. 1741. 8.

§. 234.

Digitized by Google

§. 234.

Quoniam itaque iuſiurandum per ſe conſideratum obligationem naturalem, externam nempe, non producit §. praec.; *vt mihi ius ſit ex iuramento alterius*, *ſupponendum eſt ius quoddam prius*, *ideoque obligatio iurantis praeuia*, *quae per iuramentum noua obligatione interna corroboratur.* Igitur, ſi *iuramentum* 1) *accedit obligatione ſpuriae*, ex. gr. pacto iniuſto, vel ex alia quacumque ratione inualido; nullum ius tribuit, *obligationem vitioſam non ſanat*, pactum inualidum non validum reddit: contra *ſi* 2) *accedit obligationi fundatae*, promiſſo valido; *eamdem confirmat*, et *eatenus ipſum iuramentum eſt validum.*

* Iuramentum itaque, ſicut cautio, ſequitur naturam obligationis, cui additur. Qui obligatur ad promiſſum ſeruandum; is ſi iurat, ſe pactum adimpleturum, obligatur etiam ad iuramentum ſeruandum. Contra qui Iure Naturali nihil debet ex promiſſo vitioſo; is nec obligatur ad praeſtandum illud promiſſum; licet iureiurando fuerit confirmatum.

** In *Ethica* et *Theologia Naturali Practica* inter *iuſiurandum de re illicita* ſeu ob-

iecto

iecto praeſtando illicito, et de re *licita* diſtingui; poſteriusque tamquam validum adſeri poteſt, tametſi modo iniuſto alter ad promittendum, promiſſumque iurato confirmandum inductus fuerit: immo ex iidem principiis omne *iuramentum*, *quod ſalua ſalute aeterna ſeruari poteſt*, etiam *ſeruari debet*. Sed haec *obligatio* iurantis *interna*, qua *Deo* tenetur, non ſimul per ſe ſpectata eſt *obligatio externa*, qua *homini*, in cuius iurat gratiam, tenetur.

§. 135.

Iuramenti doloſa violatio eſt PERIVRIVM, periurii reus eſt PERIVRVS. *Periurus* eſt *laedens doloſus*; et, quatenus circa pactionem periurium committit, *perfidus* §. 184; quatenus in ipſo actu iurandi alterum fallere intendit, eſt *mendax* §. 95. et 92. ſimulque *blaſphemus* ſeu blasphemiae reus, quippe BLASPHEMIA conſiſtit in ſermone doloſo (moraliter tali §. 17. et 22.) perfectionibus Dei contrario.

TITV-

TITVLVS XII.

DE

SVCCESSIONE.

* Ioach. Ge. DARIES diſſ. de *adquiſitione hereditatis eiusque effectibus ſecundum Ius Naturae*, Ienae 1746.

** Rugeri Io. KLINGENHVSEN diſſ. de *adquiſitione hereditatis ſecundum principia Iuris Naturae et Ciuilis*, Franc. 1750.

§. 236.

Res propriae et iura propria adquiſita alicuius, de quibus inſtar rerum ſuarum diſponere poteſt (ſeu res propriae alicuius tam corporales quam incorporales §. 164.), in vniuerſum conſideratae, vocantur eiusdem BONA in *ſenſu iuridico*, ipſa vero bonorum complexio PATRIMONIVM. Qui poſt mortem alterius ius in bonis, quae habuerat, adquirit, SVCCEDIT IN BONA DEFVNCTI, et vno verbo vocatur HERES; ipſa bona defuncti appellantur HEREDITAS: atque ideo *ſucceſſio in bona defuncti*, quae et SVCCESSIO *ſimpliciter* dicitur, denotat modum adqui-

Digitized by Google

rendi hereditatem; IVS HEREDITARIVM vero ius proprium, ſuccedendi in bona defuncti.

§. 237.

DISPONIT DE futura HEREDITATE ſua (de bonis ſuis mortis cauſſa); qui ſufficienter declarat, quemnam in euentum mortis bonorum ſuorum heredem eſſe velit. Pone hereditatem in ſtatu naturali: aut defunctus, quum viueret, de ea diſpoſuit; aut minus diſpoſuit. I) *Si defunctus de futura hereditate ſua nihil diſpoſuit*; *bona*, quae adhuc eius fuerunt, nunc ceſſant eſſe ipſi propria, et *fiunt res nemini propriae*. 1) Ceſſante enim ente ceſſat omnis eius adfectio, ideoque et mortuo homine ceſſat omne eius ius atque proprietas; 2) vi aequalitatis naturalis circa talia bona ius omnium eſt idem §. 81. 106, hinc nemini ius proprium. Ergo hoc caſu res defuncti fiunt nullius §. 108, conſequenter occupanti cedunt. *Hoc* itaque *caſu ſucceſſio eſt ſpecies occupationis*, atque *eatenus naturaliter non datur ius hereditarium.*

* *Succeſſio*, quam in defectum diſpoſitionis defuncti lex ciuilis determinat, et quae *ab inte-*

inteſtato vocatur, in ſtatu naturali, id eſt extraſociali §. 60, locum habere nequit. Nam vbi *ſocietas* exulat; nec liberi, nec parentes, coniuges, fiſcus cogitari poſſunt. *Aliorum* vero *ius in hereditatem* defuncti praecipuum et *proprium* quo argumento demonſtrari poterit? Quin potius ita tolleretur *aequalitas iuris omnium circa omnia* §. 108, et ſumeretur *praerogatiua* §. 83.

§. 238.

Si vero diſpoſuit de hereditate ſua; aut pacto aut citra pactum diſpoſuit. Quodſi igitur II) *pacto* diſpoſuit; dicitur pactum eiusmodi, quo quis in euentum mortis bona ſua in alterum transfert, PACTVM SVCCESSORIVM. Quum quilibet de bonis ſuis pro lubitu, conſequenter et in praeſens et in futurum diſponere poſſit §, 145. 236; *pacta* etiam *ſucceſſoria* valide ſanciri poſſe *in aprico eſt.* Itaque *ex tali pacto acceptanti naſcitur ius hereditarium* §. 236, quod eſt *ius ſub conditione ſuſpenſiua* ſeu *conditionatum*, quippe ſuſpenditur ad terminum mortis eius, qui promiſit. Itaque exiſtente hoc euentu acceptans adquirit ex pacto ſucceſſorio bona defuncti promittentis.

Digitized by Google

* Pone promittentem ſibi reſeruare voluntatem reuocabilem (ambulatoriam): ponitur noua pacti ſucceſſorii conditio, indeque ius acceptantis duplici modo conditionatum, ſuſpenſum nempe ad conditionem 1) mortis promiſſoris, 2) non reuocatae eiusdem voluntatis §. 182. et 194. not.

** *Pactum ſucceſſorium* eſſe *beneficum* poteſt et *oneroſum* §. 198. Si beneficum eſt, *donationem* comprehendit §. 209, diciturque *donatio mortis cauſſa*, ſi reſeruata voluntas donatoris ambulatoria; ſin minus, *donatio in euentum mortis* appellari poteſt. Si *donationem mortis cauſſa* ad *teſtamenta* retuleris, *datur teſtamentum Iure Naturali validum.*

§. 239.

Quodſi III) diſpoſuit quidem, ſed *citra pactum*, oritur conceptus teſtamenti. Eſt vero TESTAMENTVM declaratio alicuius expreſſa et nuda (ſine acceptatione futuri heredis), qua certum bonorum ſuorum heredem inſtituit; vnde, qui ita voluntatem ſuam declarat, TESTATOR dicitur. Ex teſtamento igitur nullum prorſus ius hereditarium, ne quidem conditionatum, nanciſcitur heres inſtitutus *viuo teſtatore:* ſecuta

vero

vero eiusdem morte largimur, heredem inſtitutum non agere iniuſte, ſicubi res a teſtatore relictas apprehendit cum animo, eas ſibi proprias habendi; concedimusque, adquirere illum hoc modo harum rerum dominium, id quod iure occupationis fieri poteſt §. 237. Eatenus vero modus adquirendi hoc caſu non in *teſtamento* et *iure proprio* heredis teſtamentarii; ſed in *occupatione* hereditatis, qua rerum nullius, et *iure* occupandi *omnibus* hominibus *communi*, fundatur.

§. 240.

Sed de eo reſpondendum: an haec defuncti *diſpoſitio teſtamentaria obliget reliquos homines vt ſe abſtineant a defuncti bonis*, ita vt *heredi ex teſtamento* per mortem defuncti *naſcatur in hereditatem ius praecipuum et proprium.* Dubium iam diu obmouetur: *ante mortem teſtatoris* nullum heredi inſtituto ex teſtamento *ius adquiritur in hereditatem* §. praec.; *exiſtente* vero *teſtatoris morte* huic nullum *ius transferendi* hereditatem ſuperſtat, vnde nec heredi inſtituto ex teſtamento, tamquam ex translatione, *ius* vllum *in hereditatem proprium adquiri* poteſt. Atque

Digitized by Google

ita patet, *teſtamenta non eſſe iuris Naturalis.* Ceterum quaeſtio haec theoretica magis eſt quam practica.

A) Validitatem teſtamentorum Iur. Nat. adferere contendunt inter plures alios:

1. Iac. SAPPIVS diſſ. *de origine teſtamentifactionis actiuae*, Lugd. Batau. 1742.

2. Ioach. Ge. DARIES diſſ. *de adquiſitione hereditatis*, ſupra ad § 236. *citata.*

3. Ioh. Chriſt. CLAPROTH *in der Abhandlung, ob die Teſtamente nach dem Rechte der Natur ſtatt haben?* in Auctoris *Iuriſt. Philoſ. und Critiſchen Abhandlungen*, Stück IV. Abhandl. 10. (Gotting. 1747. 8.).

4. Ioh. God. SPEIRMANN diſſ., *qua teſtamenta Iuris eſſe Naturalis demonſtrantur*, Helmſtad. 1747.

B. negant contra:

1. Henr. COCCEIVS diſſ. de *teſtamentis principum*, Francof. ad Oder. 1699. et in diſſ. *collectione* Vol. II. diſſ. 19. conf. etiam Sam. L. B. de COCCEII *diſſ. prooemialem XII. ad Grotium illuſtratum*, Lib. IV. cap. 3. ſect. 4.

2. Steph. WISCHER diſſ. de *teſtamentis Iuri Naturae ignotis*, Vltrai. 1720.

3.

Digitized by Google

3. Ge. Chriſt GEBAVER progr. de *origine teſtamentorum minime ex iure Naturali repetenda*, Gotting. 1736. 4.

DE

PRAESCRIPTIONE

Iuri Naturali incognita.

Auctores de praeſcriptione, quatenus ſit Iuris Naturalis, vide in MEISTERI *bibliotb. Iuris Nat.* part. III. de 39. ſequ. voc. *praeſcriptio.*

A. Praeſcriptionis cauſſam *defendunt* cum Grotio et Pufendorfio praeprimis:

1. Io. WERLHOF diſſ. *vindiciae Grotiani dogmatis de praeſcriptione inter gentes liberas* contra Petrum Puteanum, Helmſt. 1696. it. 1720.

2. Chriſtian. Andr. MEYCKE diſſ. de *naturali principio vſucapionis et praeſcriptionis*, Altona 1754.

B. *impugnant* contra:

1. Pierre DU PUY diſſ. *ſi la praeſcription a lieu entre les princes Souverains?* in-

Digitized by Google

ſerta Auctoris operi: *Les Droits du Roi tres Chretien ſur pluſieurs Royaumes et Etats de l' Europe*, Paris 1655, It. Rouen 1670. Diſputat Puteanus maxime contra Grotium.

2. Dan. Frider. HOHEISEL diſſ. de *fundamentis in doctrina de praeſcriptione et derelictione gentium tacita diſtinctius ponendis*, Hal. 1723.

3. Gebh. Chriſt. BASTINELLER diſſ. *de eo, quod iuſtum et aequum videtur in praeſcriptione immunitatis ab oneribus publicis*, Witt. 1740.

4. Io. Ern. GVNNER diſſ. philoſ. in qua demonſtratur, *praeſcriptionem non eſſe Iuris Naturalis*, Ien. 1749.

§. 241.

Quaeritur, an res alterius adquiri poſſit ex eius derelictione praeſumta? ſiue quod hoc loco idem eſt, *an praeſcriptio ſit Iuris Naturalis?* PRAESCRIPTIO (vſucapio) enim definitur, quod ſit modus adquirendi alienum ex derelictione praeſumta.

Titius rem quamdam opinione dominii poſſidet per aliquot annorum ſpatium: tum Caius hanc rem iure dominii repetit, probatque non

tan-

tantum, eam aliquando fuiſſe ſuam, ſed etiam ſe extra poſſeſſionem illius rei ita fuiſſe conſtitutum, vt ad hoc vsque tempus animo retinere dominium potuerit, ſeu, vt loqui amant, repetit rem *oſtenſo* praeter *dominium priſtinum praeſentis poſſeſſionis vitio* (iniuſtitia). Hoc caſu Titius eſt *rei alienae poſſeſſor* §. 129: atque ſi eam 1) *mala fide* poſſidet, tenetur ex maleficio ad domino rem ſuam reſtituendam; ſi *bona fide*, excuſatur quoad praeteritum *iure* bonae fidei et *dominii putatiui*, ſed nunc, vbi verus dominus apparet, ceſſat ius eius, et rem domino ſuo reddere obligatur §. 130.

Sed iam Titius bonae fidei poſſeſſor inſtat: rem ſibi ex derelictione Caii eſſe adquiſitam. Itaque ab ipſo probanda eſt ſufficiens declaratio Caii, qua voluit, vt haec res, quae ſua fuit, non amplius ſua maneret §. 166. Nequit expreſſam, nec tacitam: tum ad *derelictionem praeſumtam* tamquam ad aram ſalutis confugit, atque hoc argumento vtitur: qui *ſcit rem ſuam ab alio poſſideri, nec multo tempore contradicit, quum nullum adſit impedimentum; is eam dereliquiſſe praeſumendus* eſt. Ita exſtrueretur modus ad-

quirendi ex derelictione domini praeſumta, et fundata eſſet Iure naturali praeſcriptio. Aſt vero aliud eſt: *non contradico*, vt caream *poſſeſſione* rei meae, et vt alter eius poſſeſſionem ad *interim*, quoad non contradixero, habeat; et aliud omnino: *ſufficienter declaro*, me *nolle* amplius habere *dominium* rei hactenus meae, et *velle*, vt alter illud, adeoque *ius perpetuum* in eadem adquirat.

Itaque hoc caſu derelictio ne quidem niſi infirmiter praeſumi poteſt; et licet praeſumatur; tamen ſimul atque verus dominus rem poſtulat, praeſumtio cedit veritati contrariae. Quamobrem hoc ſenſu praeſcriptio nequit eſſe modus adquirendi alienum verus; ſed ad ſummum erit, vt diximus, putatiuus, et eatenus *vſucapio Iure Naturali ignoratur*.

* Obſerues in praeſcriptione *derelictionem* praeſumtam ſemper eſſe reapſe *fictam*: quum is, qui a praeſcribente repetit rem ſuam, *voluntatem non derelinquendi*, ideoque contrariam voluntatem veram *ipſo facto* commonſtret. Ex ficta vero derelictione, pariter atque ex ficto conſenſu §. 175, non niſi ius adquirendi fictum, ideoque haud verum deduci poteſt.

**

** Sed roborari ſolet probatio praeſcriptionis, quae ex ſcientia et non-contradictione domini deducitur, vlteriori argumentatione: *qui non facit, quod facere poterat et debebat; is non facere velle, ergo conſentire praeſumitur.* Verum vnde *τo debere*, qua obligatio perfecta, demonſtrari poterit? Regeritur quidem: quoniam *intereſt totius generis humani, vt dominia rerum ſint certa.* Intereſt ſane; ſed et intereſt, vt alia officia imperfecta exhibeantur. Ab hac vtilitate ad neceſſitatem, Iure Naturali talem, concludi nequit: nec quidquid intereſt generis humani, vt fiat; id eapropter per ſe et abſolute etiam eſt cuiuslibet hominis liberi obligatio perfecta, vt faciat.

*** Si *praeſcriptionem* definiueris ex Iure Romano per modum adquirendi ex diuturna poſſeſſione, iuſto titulo et bona fide ſtipata; faciliori adhuc negotio confunditur praeſcriptio. Nam a) *poſſeſſio* per ſe conſiderata eſt res facti, non iuris, hoc eſt, facultatem phyſicam, non vero ius ſeu facultatem legalem inuoluit §. 120. 189; b) *diuturnitas temporis* ex principiis Iuris Vniuerſalis definiri nequit; c) *bonam fidem* et *iuſtum titulum* vt probet praeſcribens, adigi nequit, quum quilibet iuſtus ſit iudicandus ob exiſtimationem bonam ſimplicem, ideoque et poſſeſſor alieni ſit praeſumen-

ſumen-

Digitized by Google

ſumendus bonae fidei, donec probetur contrarium §. 129; d) ſed nec bona fides et iuſtus titulus operari quid poſſunt, niſi *adquiſitionem putatiuam*, donec appareat verus dominus §. 132. 131.

**** Nec praeſcriptionis fundamentum in *tacita derelictione* poni poteſt. Quum enim ex ſola non-contradictione vix aliqua, certe debilis tantum probabilitas voluntatis derelinquendi deducatur; multo minus moralis certitudo et ſufficiens declaratio huius voluntatis inde colligi poteſt.

***** Siue ceterum in *derelictione* ſiue in *alienatione* aut tacita aut praeſumta ius praeſcribendi fundatum contendatur; easdem rationes vtrinque obſtare clarum eſt.

Ti-

Digitized by Google

TITVLVS XIII.

DE
MODIS
QVIBVS IVS ET OBLIGATIO EX PACTO CONTRACTA TOLLITVR.

§. 242.

Quum ius atque obligatio ſit adfectio perſonae, quae niſi poſita perſona poni nequit; conſequitur, *vt mortuis naturaliter nec ius vllum competat, nec obligatio vlla incumbat.* Quando itaque homo moritur, nullius iuris, nullius obligationis amplius capax eſt, tolliturque ita omne eius ius atque obligatio, ſeu omne ius ſuum amittit, et omnis eius obligatio ceſſat. *Mors adimit omnia iura, liberat ab omni obligatione*, ideoque mors eſt modus, quibus ius atque obligatio tollitur.

§. 243.

Ivs transmissibile eſt, quod ſublatum in eo, qui habuit, in alterum abit, ſeu quod amiſſum

amiſſum ab eo, qui habuit, in alterum tranſit, quod ita tranſire nequit, eſt IVS NON-TRANSMISSIBILE (perſonaliſſimum). Atque eodem ſenſu et OBLIGATIO TRANSMISSIBILIS vel PERSONALISSIMA dicitur. *Iura* igitur *perſonaliſſima cum morte proprietarii extinguuntur*, hoc eſt ceſſant ſimpliciter et plene; contra *iura transmiſſibilia*, quatenus per pactum ſucceſſorium in heredem translata fuerunt, *non extinguuntur*, ceſſant nempe tantum reſpectiue reſpectu ſcilicet mortui; perdurant vero reſpectu heredis, in quem transmittuntur, quum heres ſurrogetur in locum defuncti; et eius iura adquirat §. 236. Similiter et *obligationes perſonaliſſimae extinguuntur mortuo eo, cui incubuerunt*; *transmiſſibiles* vero *abire in alium poſſunt*.

Obligatio cum iure transmiſſibili connexa in eadem perſona, ita vt hoc poſito et illa ponenda ſit; etiam in eumdem tranſit, in quem transmittitur ius, ideoque obligatio talis eſt transmiſſibilis. Ergo *quicumque heres ſuccedit in defuncti iura, ſimul ſuccedit in obligationes cum his iuribus connexas*.

* An

* An *ius ex pacto* quaeſitum ſit *transmiſſibile* vel *minus*; ex *intentione paciſcentium*, hinc ex tenore pacti, vel eius natura, obiecti praeſtandi indole aliisque circumſtantiis diiudicandum eſt.

** Sam. Frid. Willemberg diſſ. mortem non omnia ſoluere, Gedani 1734.

§. 244.

Ius adquiſitum in certam rem et obligatio circa eamdem niſi poſita re poni nequit: quapropter *pereunte perit omne ius in rem*, ſiue illud ius fuerit dominium, ſiue ſeruitus, ſiue quodcumque aliud ius; *ceſſatque omnis ſimul obligatio circa eamdem adquiſita.* Ideoque *interitus rei* eſt modus, quibus ius atque obligatio circa eamdem tollitur.

§. 245.

Si res mea interit facto alterius *iniuſto;* laedens ad damnum datum reſarciendum tenetur §. 55, ideoque *ius meum in re ceſſat reſpectiue tantum* et minus plene, *ita* ſcilicet *vt in locum iuris amiſſi mihi naſcatur ius in laedentem.*

Si

Si res mea perit mero caſu; *ius in hanc rem* per ſe conſideratum ſimpliciter et plene ceſſat atque *extinguitur*. Ergo *caſum ſentit dominus*, et generalius *interitum rei caſualem ſentit is*, *cuius fuit ius in re*, immo *ius qualecumque circa talem rem adquiſitum*. Poteſt tamen minus plene dumtaxat ceſſare, ita vt ius ſublatum excipiat ius aequiualens ex. gr. in eum, qui periculum talis rei ex conuento in ſe ſuſcipit.

* Ergo ſi *res in ſpecie* promiſſa contractu ante traditionem caſu interit: tollitur obligatio debitoris eam tradendi, immo omnis eius obligatio ex tali pacto contracta extinguitur; et hinc ſimul omne ius creditoris correlatum, ſeu reale ſeu perſonale in debitorem, exſpirat, ideoque hunc caſum ſentit creditor, niſi aliud ſtipulatum fuerit.

** Contra ſi *res in genere* promiſſa, et res quaedam huius generis caſu interit, antequam tradita aut declaratione ſufficienti in ſpecie determinata fuerit: nec obligatio debitoris rem aliam ex genere promiſſo praeſtandi; nec conſequenter ius creditoris perſonale, exigendi hanc praeſtationem, extinguitur.

*** Hinc etiam ſecundum Ius Romanum in emtione venditione, re nondum tradita caſum

emtor

Digitized by Google

emtor ſentit, ſed periculum pretii nondum ſoluti venditor haud ſuſtinet.

§. 246.

Praeter hos *modos generales*, quibus iura atque obligationes tolluntur; *obligatio pactitia* ad praeſtandum (obligatio ex pacto contracta), et hinc ius pactitium correlatum *ſpeciatim* etiam tolli poteſt tum variis *paciſcentium factis* pactum ſubſequentibus, tum etiam *citra eadem*.

Ad poſteriorem caſum pertinet, ſi in ipſa conuentione *obligatio debitoris ad* certum *locum*, *tempus*, *ſtatum*, *conditionem* aliamue determinationem ita *reſtringatur*, *vt deficiente tali determinatione obligatio contracta ceſſare debeat*; vel ſi contingat, vt qui erat debitor, idem fiat creditor, qui euentus *confuſio debiti et crediti* appellatur.

Car. Phil. Kopp de *clauſula*, *rebus ſic ſtantibus*, *ſecundum Ius cum Naturale*, *tum Ciuile*, diſſ. inaug., Marburg. 1750.

§. 247.

Praeſtatione debiti hoc eſt *ſolutione* §. 183. *obligatio pacto contracta tollitur*, atque ita *debitum*,

Digitized by Google

tum, *creditum*, *ius creditoris extinguitur*, et *debitor liberatur*. *Soluendum* vero *a debitore* eſt *praeciſe id*, atque id *totum et tantum*, *quod et quantum debetur*, et *eodem modo*, *loco*, *tempore* cet. *quo debetur*; quantum fieri poteſt. Alias, ſi quid inde detrimenti naſcitur creditori, illud oritur ex laeſione debitoris, ideoque eſt damnum, a debitore creditori reſarciendum.

§. 248.

Actus, quo aliud loco debiti ſoluitur, eſt DATIO IN SOLVTVM. Quum praeciſe ſit ſoluendum §. praec.; aliud pro alio creditori obtrudendum non eſt, hinc et *dari aliquid in ſolutum nequit*, *niſi volenti*, *aut quando ſolutio praeciſa impoſſibiles*; *et tamen obligatio ad ſoluendum aequiualens perdurat*. *Datione in ſolutum* (valide facta) *debitum extinguitur*.

§. 249.

Actus, quo debitor debitum ſoluturus in ſolutum imputat creditori, quod hic ipſi debet, eſt COMPENSATIO. Quatenus ex compenſatione laede-

Digitized by Google

laederetur creditor; ipſi loco ſolutionis compenſatio non obtrudenda. Eatenus 1) *debitum rei in ſpecie cum debito alius rei, vel qualiscumque reliqui debiti* §. praec.; et 2) DEBITVM LIQVIDVM, de quo certo conſtat, quod ad id praeſtandum aliquis ſit obligatus, *cum* ILLIQVIDO, de quo idem nondum certo conſtat, *compenſari niſi volenti nequit.* E contrario ſi *debita compenſanda ſunt exacte aequiualentia*; quo refer, ſi vtrimque res in genere eodem, aut quantum rerum eiusdem generis, ita debentur, vt nullum ex compenſatione detrimentum docere poſſit creditor; *compenſatio, licet renitente creditore, iuſte fieri poteſt. Facta compenſatione extinguitur vtriusque partis debitum*, in quantum eſt compenſatum.

§. 250.

Dilatio praeſtationis iniuſta vocatur MORA. Qui itaque, quod facere debet et poteſt, vltra tempus, quo faciendum, differt, in mora eſt. Si *debitor* eſt *in mora ſoluendi*, *tenetur creditori ex laeſione.* INTERPELLAT creditor debitorem, ſi ſolutionem debiti ab ipſo poſtulat. *Debitor*

bitor interpellatus naturaliter ſoluere tenetur, quam primum poteſt §. 193. Si ergo ſolutionem citra iuſtam cauſam differt, ex tempore interpellationis in mora eſſe incipit, et ad reſarciendum, quod inde detrimentum ſentit creditor, tenetur.

Quodſi ex aduerſo *debitor* SOLVTIONEM creditori OFFERT, i. e. ad ſoluendum paratum ſeſe declarat, *oblatam vero accipere creditor citra iuſtam cauſſam detrectat*; DEBITOR *liberatur ab obligatione, ſi, quantum facto ſuo poteſt, praeſtat*, ex. gr. ſi ita ſeſe extra poſſeſſiooem rei debitae conſtituit, vt in creditoris poteſtate ſit, eam apprehendere. Quidquid detrimenti ex omiſſa apprehenſione creditor ſentit, eius ipſe ſolus eſt auctor §. 72. Pr. ideoque illud debitori imputari nequit §. 31. Pr. *Datur* itaque et *oblatio debiti*, quae vice ſolutionis fungitur, et *qua* ideo *debitor liberatur.*

§. 251.

REMITTO DEBITVM *in genere* (ius meum in debitorem qua talem); ſi ſufficienter declaro, me nolle, vt alter praeſtet, ad quod praeſtandum

dum mihi obligatur, breuius; vt mihi debitum ſoluat. Pactum gratuitum, quo creditor debitori remittit debitum, eſt REMISSIO *in ſpecie* (condonatio, pactum remiſſorium, pactum liberatorium *ſtricte* dictum, ſumitur enim quandoque *latius*). Qui remittit debitum, renunciat iuri ſuo in debitorem §. 158, et *debitum, quod remittitur, extinguitur.* Ad remiſſionem pertinet PACTVM DE NON PETENDO, quo inter creditorem et debitorem expreſſe conuenitur, ne debitum exigatur.

§. 252.

Generatim itaque *ad extinguendum debitum conſenſus creditoris* et *debitoris naturaliter ſufficit.* Atque talis conſenſus mutuus ſpectandus vt *pactum*, quo creditor aliquid promittit et debitor acceptat; quoniam *liberatio ab obligatione aequipollet adquiſitioni iuris*, et *creditor* hoc caſu ſe obligat ad debitum non exigendum, ideoque reuera *promittit factum omiſſiuum* §. 187. Si, quod mutuo conſenſu extinguitur debitum, ex pacto fuit contractum: conſenſus talis eſt conſenſus mutuus in contrarium, hinc diſſen-

Digitized by Google

ſus mutuus §. 178, et inuoluit pactum pacto anteriori, quo debitum contrahebatur, oppoſitum. Quamobrem *conſenſu mutuo* ſeu *pacto debitor liberatur*, et ſpeciatim *conſenſu mutuo in contrarium* ſeu *diſſenſu mutuo et pacto contrario debitum pacto contractum extinguitur.* Atque hoc ſenſu (conf. §. 190.) *pactum poſterius derogat priori*, et *poſteriori diſſoluitur anterius.*

* Si *debiti praeſtatio iuramento* promiſſa, remiſſione facta vel pacto contrario icto tollitur validitas iuramenti §. 234. Et ex eadem ratione *pactum*, *quod diſſolutum non iri* paciſcentes mutuo *iuramento* ſibi *promiſerunt*, Iure Externo quidem haud impedit, quo minus paciſcentes illud diſſenſu mutuo *diſſoluere*, atque hinc eo ipſo *iuramentum*, quo ſe mutuo adſtrinxerunt, ſibi inuicem *relaxare* poſſint. RELAXATIO quippe IVRAMENTI eſt declaratio, quo iuramentum validum efficitur inualidum.

§. 253.

Praeter hoc modos, quibus extinguitur et *plene tollitur obligatio contracta*, dantur et alii, quibus *minus plene* tantum obligatio contracta *tolli-*

tollitur; ita ſcilicet, vt ſublatam obligationem alia excipiat, ſeu in locum eius ſubſtituatur; id quod fieri poteſt vel mutato debito ipſo ſeu obiecto praeſtando, vel mutatis perſonis, inter quos debitum intercedit.

Mutatio obligationis prioris in aliam quoad cauſſam vel modum debendi, eodem creditore et debitore manente, et NOVATIO. Si debitor et creditor in nouationem conſentiunt; nouatione obligatio prior ita tollitur, vt noua in eius locum ſubſtituatur, conſequenter *facta nouatione debitor a priori debito liberatur*, *ſed ex nouo debito tenetur.*

§. 254.

ASSIGNATIO eſt actus, quo debitor loco ſolutionis creditori ſignificat alium vice ſua ſoluturum, ſeu ſubſtituit alium, qui vice ſua ſoluat. Debitor, qui alium ſubſtituit, ASSIGNATOR; qui ſubſtituitur, ASSIGNATVS eſt. *Si creditor* et *aſſignatus in aſſignationem conſentiunt*; *debitor* vi huius pacti *liberatur* reſpectu ſcilicet creditoris, cui aſſignatio facta, cuique nunc tenetur loco debitoris priſtini aſſignatus.

Digitized by Google

§. 255.

Expromittit, qui debitum alterius ſoluere, ita vt hic a debito liberetur, ipſius creditori promittit. *Acceptata a creditore expromiſſione* expromiſſor obligationem debitoris in ſe transfert, ideoque *debitor liberatur*, hoc eſt non amplius manet obligatus creditori, qui expromiſſionem acceptauit, cuique nunc obligatur loco debitoris priſtini expromiſſor. *Aſſignatus* ſi declarat creditori, ſe conſentire in aſſignationem debitoris in ſe factam, hoc eſt *acceptans aſſignationem*, fit expromiſſor.

§. 256.

Actus, quo debitor vice ſua expromittentem creditori ſubſtituit, eſt DELEGATIO. Qui ſubſtituit, vocatur DELEGANS; qui ſubſtituitur, DELEGATVS, qui ergo eſt expromiſſor; creditor vero, cui fit delegatio, DELEGATARIVS dicitur. *Delegatio* itaque *perficitur delegantis, delegati et delegatarii conſenſu*: ſcilicet 1) delegatus deleganti acceptanti promittit, quod expromittere velit; 2) delegatarius deleganti acceptan-

ceptanti promittit, quod expromiſſionem acceptare velit; 3) delegatus delegatario acceptanti promittit, quod ipſi ſoluere velit. Ergo *perfecta delegatione delegans liberatur*, *et* eius loco *delegatus delegatario incipit obligari*

§. 257.

Pactum, quo ius adquiſitum transfertur, eſt CESSIO IVRIS *latius*, *ſtrictius* vero, immo *ſimpliciter*, quo ius perſonale §. 186. (ius ad rem §. 189. *not.*) transfertur in tertium; et transferens CEDENS, acceptans CESSIONARIVS debitor vero cuius debitum ceditur, DEBITOR CESSVS vocatur. *Ceſſio iuris* igitur, *de quo cedens inſtar rei propriae diſponere poteſt*, *inſcio et inuito debitore fieri* poteſt; *contra quatenus ceſſione ius debitoris violaretur*, *ipſa eo inuito fieri nequit*. *Ceſſione* itaque *liberatur* quidem *debitor ab obligatione erga priorem creditorem* tamquam cedentem; attamen *eius loco incipit obligari nouo creditori*, nempe ceſſionario.

Digitized by Google

LIBER I.

IVRIS NATVRALIS

SECTIO III.

IVS NATVRALE BELLI.

§. 258.

Ivs natvrale belli eſt ſcientia legum naturalium poſita laeſione obſeruandarum §. 62. Ergo tradit *iura* atque *obligationes naturales mere tales* §. 61, et *hypotheticas* eas, quae demum poſito facto iniuſto, ideoque poſito laedente et laeſo concipi poſſunt §. 62. et 109; determinatque *ſuum mere naturale*, *adquiſitum ex laeſione alterius*; atque *officia mere naturalia hypothetica ea*, quae ſine aſſumto facto iniuſto ſtabiliri nequeunt §. 62. et 109.

TITVLVS I.

DE

MODIS IVS SVVM PERSEQVENDI.

§. 259.

Laeſo in laedentem naturaliter competit ius cogendi, ad ſe ſuumque conſeruandum, quatenus ad hunc finem obtinendum coactio medium eſt neceſſarium §. 135. Pr. et 57.

Si quis ergo eſt laedens, ſi factum perpetrat iniuſtum, factum conſeruationi alterius aduerſum, ſi ius alterius naturale violat, ſi obligationi ſuae, qua alteri naturaliter tenetur, haud ſatisfacit, ſi iniuriam, ſi damnum alteri infert, ſi aufert, imminuit, inuadit id, quod ſuum naturale eſt alterius, ſi alteri ius ſuum non tribuit, ſi ipſum in vſu iuris ſui impedit: is a laeſo iure cogitur, ipſi officium, quod ſponte facere detrectat, extorqueri poteſt, contra eum vis iuſta eſt, violentia licite exercetur, remedia coactiua ſine iniuria adhibentur, atque eius ſuum quodcumque

cor-

corpuſque ipſum inuadere naturaliter licet; quatenus laeſus alio modo ſe ſuumque contra laedentem conſeruare, ſeu aliter ius ſuum conſequi nequit. Qui eo iure vtitur, quod ipſi contra laedentem competit, IVS SVVM (violatum nimirum) PERSEQVI dicitur; ergo *ius ſuum vi adhibita perſequi naturaliter licet.*

§. 260.

Quum itaque laeſio efficiat, vt coactio laeſi, qua contra laedentem in ſui conſeruationem vtitur, ſit iuſta, remota vero laeſione omnis coactio ſit iniuſta §. 135. Pr. et 57; conſequitur, vt *laeſio ſit cauſſa vnica iuſtae coactionis. Sola laeſio* eſt *cauſſa iſtifica coactionis.* Subintelligenda vero eſt laeſio, quae auerti vel tolli niſi adhibita nequit, vno verbo LAESIO INDECLINABILIS §. praec.

§. 261.

Ius laeſi cogendi laedentem *extenditur in omnes actus, ſine quibus ſe ſuumque contra laedentem conſeruari nequit* §. 259. Quum *actus*

cogen-

Digitized by Google

cogendi et *ſpecie* et *gradu* multum inter ſe differant; quinam vero inter plures actus violentiae compoſſibiles ſint ſigillatim illi, qui dato caſu ad ſeſe contra laedentem conſeruandum neceſſario requirantur, non niſi ex datis circumſtantiis diiudicari poſſit: eatenus *ius laeſi in laedentem porrigitur in infinitum* ſeu *eſt* IVS INFINITVM (*indefinitum* proprie), hoc eſt, cui in abſtracto limites praefigi nequeunt, ex circumſtantiis puta in caſu dato obuiis demum determinandi. Atque eatenus *contra laeſionem qualemcumque* et *quantamcumque* (maiorem vel minorem) *datur laeſo ius violentiae qualiscumque* et *quantaecumque.*

§. 262.

Hinc vero intelligitur, 1) *nullum dari ſuum* et *ius ſuum laedentis*, *quod* in abſtracto ſpectatum *a vi laeſi ſit exemtum*, quin potius eius violentiae ſubeſſe tum res laedentis proprias, tum iura eius ſeu adquiſita ſeu connata, bona quaecumque, vniuerſum patrimonium ipſumque corpus et perſonam laedentis, *quatenus fieri poteſt*, et ſpeciatim *quatenus fieri poteſt ſine laeſione tertii.*

2)

2) *Laeſum iuſte adhibere contra laedentem* VIOLENTIAM quum OCCVLTAM, quam is, contra quem exercetur, praeuidere nequit; cum MANIFESTAM, quam praeuidere poteſt. 3) *In dubio et vim laeſi iuſtam* eſſe *praeſumendam* §. 98, *et iudicium, de qualitate et quantitate violentiae, quae ad ius ſuum conſequendum requiritur*, *laeſo* vi libertatis naturalis *eſſe relinquendum* §. 80.

§. 263.

Itaque nec declaratum propoſitum, laedenti vim inferendi, habere laeſus prohibetur. Propoſitum declaratum, alteri vim inferendi, HOSTILITAS; et is, cui eſt tale propoſitum, HOSTIS nuncupatur. Qui igitur animum vim inferendi, ſeu hoſtilem declarat verbis vel facto, hoſtis eſt; omnis actus violentiae eſt actus hoſtilitatis, et *laeſo in laedentem naturaliter competit ius hoſtilitatis*, atque ideo *laeſus iure fit hoſtis laedentis*.

§. 264.

Quodſi duorum alter violentiam adhibet, alter eamdem vi repellere molitur; oritur ſtatus plurium,

rium, qui ſibi inuicem vim inferre ex declarato propoſito conantur, ſeu qui hoſtiliter erga ſe inuicem agunt; qui ſtatus dicitur BELLVM. Bellum itaque eſt ſtatus hoſtilitatis mutuae, et ſtatus per vim manifeſtam certantium; eique opponitur PAX, ſtatus a bello vacuus. Naturaliter itaque *laeſio in laedentem, vi iuſtae reſiſtentem, ius belli competit.* Hinc *eius bellum eſt iuſtum*, et *ipſe eſt hoſtis iuſtus*; quum contra bellum, quod laedens contra laeſum gerit, iniuſtum, ipſeque hoſtis iniuſtus, et quilibet eius actus hoſtilitatis fit noua laeſio.

* Quoniam itaque Ius belli non competit niſi laeſo in laedentem, lex eſt Iuris Naturalis: *nemini bellum infer, antequam te laedat.* Vnde et deriuatur lex: *pacem cole, quoad haberi poteſt.*

** Quum nemo naſcatur iniuſtus ſeu laedens §. 67; tantum abeſt, vt *a natura* ſeu in ſtatu originario *detur bellum*, intellige ius belli, *omnium contra omnes*: vt potius a natura *pax detur omnium cum omnibus*, id eſt obligatio ad pacem colendam cuilibet erga quemlibet incumbat.

§. 265.

§. 265.

Ergo 1) *ſola laeſio eſt cauſſa iuſtifica belli* §. 260. Et quoniam laeſo ius eſt, tantam contra laedentem vim adhibendi, quanta ad ſe ſuumque contra laedentem conſeruandum ſufficit §. 261; 2) *hoſti iuſto* et belligeranti iuſto *tanta vi vti licet, quanta ad ius ſuum conſequendum ſuperandamque reſiſtentiam vi iuſtae factam requiritur.* Atque eatenus 3) *ius belli eſt infinitum, hoſtique iuſto in hoſtem iniuſtum omnia licent* §. 261.

* Neque igitur *ius violentiae* et *belli* dimetiendum ex *quantitate damni*, quod infertur; ſed ex *proportione*, quam habet violentia *ad conſeruationem*, qua medium ad finem. Eatenus in vſu violentiae ad diſcrimen, an ſit *laeuior laeſio*, vtrum *grauior*? an *damnum maius*, vtrum *minus* inferatur? attendi Iure Naturali nequit: hoc ſcilicet ſenſu, vt ſtatuatur, laeſo competere contra laeſionem grauiorem remedium durius; contra laeuiorem autem mitius tantummodo. Si enim contra laeuiorem laeſionem vſus remedii durioris, adeoque vis eſſet abſolute iniuſta, conſequenter laeſus hoc caſu obligaretur ſimpliciter,

vim

Digitized by Google

vim non inferre, ideoque pati, vt laedatur; laedenti eſſet *ius laedendi* §. 121. Pr., quod eſt abſonum.

§. 266.

Quatenus laeſo competit ius cogendi laedentem; ipſi tribuendam eſt *ius inuadendi, auferendi*, eripiendi, quidquid eſt *ſuum laedentis* §. 259, et conſequenter in id, quod aufert, ius adquirit §. 112, atque id ſuum efficit. Eatenus *vis iuſta*, hinc *hoſtilitas iuſta* et *bellum iuſtum poteſt eſſe modus adquirendi*; et modus rem adquirendi iure belli, immo generalius: modus, quo quis vi (iuſta) adquirit alienum, vocatur OCCVPATIO BELLICA.

§. 267.

Laeſo ex laeſione iam *illata*, hinc damno actu dato, *competit* aduerſus laedentem *ius indemnitatis* §. 55; ex *laeſione praeſenti* vel *imminenti ius defenſionis*; ex *imminenti ſpeciatim ius ſecuritatis* §. 41. et 57.

§. 268.

Laedens igitur ex laeſione illata obligatur ad

Digitized by Google

aliquid laeſo praeſtandum, quo ipſius damnum reſarciatur, quae obligatio eius eſt ex laeſione contracta, hinc *laedens fit debitor laeſi* §. 183, et *reparatio damni dati eſt ſolutio debiti.* Quamobrem laedens reparare tenetur damnum praeciſe in eo, in quo dedit, quo caſu reparatio damni dati eſt *reſtitutio* ablati §. 210; aut ſi hoc nequit, tenetur ad reſarciendum *tantum, quantum* eſt damnum datum, quoad fieri poteſt, praeſtando ſcilicet *aequiualens* aut alio modo damnum reparando. Atque haec reparatio damni dati, in oppoſitione ad eam, quae fit per reſtitutionem (ablati), vocari ſueuit SATISFACTIO *ſtricta* dicta, quia hoc modo laedens ſatisfacit obligationi ſuae et laeſo. Quare *damnum datum reparatur reſtitutione vel ſatisfactione*, et *laedens ex laeſione illata tenetur principaliter ad reſtituendum ablatum, in ſubſidium ad ſatisfaciendum laeſo.*

* In ea reparatione damni dati, quae fit per ſatisfactionem, Ius Naturale multum fauet laeſo. *Quantitas* enim *ſatisfactionis* ſeu aeſtimatio damni ex *iudicio laeſi* §. 203; non vero laedentis nec tertii valide determinatur.

Io. Eberh. ROESLER diſſ. *de reſtitutione damni*

damni ex principiis Philoſophiae Moralis, Tubingae 1707.

§. 269.

Qui laeſionem actu inferre incipit aut intentat §. 133. Pr., eſt AGGRESSOR. Ergo *contra aggreſſorem competit ius defenſionis* §. 133. et 134. Pr., ne laeſionem coeptam peragat, atque vt amplius et diutius laedere deſiſtat. Atque *hoc ſenſu* omnis aggreſſor eſt laedens, et ſi hoſtiliter agit, hoſtis iniuſtus, et omne BELLVM OFFENSIVVM, ſumtum pro bello aggreſſionis, eſt iniuſtum; omnis ex aduerſo defenſor ſui eſt laeſus et hoſtis iuſtus, et omne BELLVM DEFENSIVVM, quod nempe geritur in ſui defenſionem, eſt iuſtum.

§. 270.

Etiam contra *laeſionem imminentem*, hinc contra *laeſionem intentantem vis iuſta eſt* ob ius ſecuritatis cuique naturaliter competens §. 133. et 134. Pr. *An vero laeſionem quis intentet*, ex *factis eius colligitur, quibus animum laedendi commonſtrat*.

Contra laeſionem intentantem competit mihi ius cogendi ne laedat, ergo non obligor primum actum laeſionis ab ipſo pati atque expectare, donec ipſum actu inferat, ideoque *mihi ius competit eum cogendi, antequam actu laedere incipiat.* Quod ius vim inferendi laeſionem intentanti qua tali, ſeu antequam actu laedere incipiat, dicitur IVS PRAEVENTIONIS, atque ex iure ſecuritatis promanat, et eius eſt ſpecies.

Itaque *laeſionem intentans* ſeu laeſurus *aequipollet laedenti; laeſio imminens laeſioni actuali;* et is, cui imminet laeſio, ei, qui actu laeditur.

Ius ſecuritatis datur a termino, qua oritur periculum laeſionis, ad terminum, quo ſecuritas reſtituta eſt.

§. 271.

Contra laedentem qui eſt in reatu, ſeu cuius laeſio eſt culpabilis, *competit laeſo vi iuris in ſui ſecuritatem etiam ius vindictae* (vlciſcendi iniuriam), mala ſcilicet ipſi infligendi ad praecauenda facta ſimilia, hinc ne laedens ipſum denuo laedit, immo pro datis circumſtantiis nec alii, laedentis exemplum ſequentes §. 57. introd. et §. 135. Prol.

Spe-

Speciatim quum laedens doloſus animum laedendi prodat; *laeſo inde ius naſcitur indicandi, eum animum laedendi retinere*, hinc in poſterum denuo laeſurum eſſe, ſi potuerit §. 165; *donec conſtet de contrario*, ſcilicet ipſum amplius nolle, aut certe non poſſe laedere. Quare tametſi laedenti doloſo damni dati reparatio extorta, atque pro praeſenti tum eius laeſio actualis repreſſa, tum imminens propulſata; attamen *laeſus contra doloſe laedentem vim continuare poteſt ad ſecuritatem in futurum ſibi adſerendam.* Atque haec coactio, quae ſublata in praeſens et laeſione actuali et laeſionis periculo, eo fine a laeſo protenditur in laedentem, vt ne in poſterum laedere velit vel poſſit; eſt *ſtrictius* VINDICTA (vltio). Vnde intelligitur, quatenus *vindicta* ſit *licita*, et quatenus iure Naturali detur *ius vindictae*. Datur nimirum *contra laedentem doloſum, donec deponat animum laedendi, aut in ſubſidium, donec viribus laedendi deſtituatur.* Hinc *datur etiam in eum finem, vt ſufficienter declaret animum contrarium.*

Contra eum vero, qui *culpoſe* dumtaxat *laeſit*, tanta vltio, quanta contra doloſe laedentem con-

ceditur; non eſt permiſſa §. 36. Prol.; nec dari poteſt ad frangendam vel malam voluntatem vel potentiam nocendi; ſed tantum ad efficicendum, vt *ad officium faciendum fiat attentior*; *laeſionem* vero *inculpabilem* vlciſci ſimpliciter nefas eſt.

§. 272.

Itaque violentia licita et bellum iuſtum eſt, cuius finis eſt indemnitas, defenſio, ſecuritas in praeſens atque in futurum §. 267. 271. *Extenditur* itaque *iuſtitia belli, quoad patent indemnitatis, defenſionis et ſecuritatis iura.* At vero *ſi vltra hos terminos bellum protenditur; laeſus incipit laedere*, et ex hoſte iuſto fit iniuſtus, ex defenſore aggreſſor; vnde et ex oppoſito, qui erat hoſtis iniuſtus et aggreſſor, iam euadit hoſtis iuſtus et defenſor ſui. Et haec *in theſi* certa, licet *in hypotheſi* et caſibus obuiis definire iuſti belli limites ſaepius perquam difficile ſit.

De cetero ex dictis §. praec. perſpicitur, ius violentiae et belli latius patere contra laedentem doloſum, quum contra culpoſum, immo et contra culpoſum latius, quam contra eum, cuius laeſio ab omni reatu vacua eſt.

§. 273.

§. 273.

Coniunctio virium ſuarum cum viribus alterius in fine alterius perſequendo, eſt AVXILIVM; auxilium, quod hoſti qua tali fertur, eſt AVXILIVM BELLI (bellicum); qui fert, ſeu iuuat hoſtem in bello proſequendo, eſt AVXILIATOR HOSTIS. Quum auxiliator hoſtis auxilio ſuo vires hoſtis augeat in nocendo et violentia exercenda, atque ad eius bellum concurrat §. 31. Prol.; *auxiliator hoſtis ipſe fit hoſtis eius, contra quem iuuat alterum in bello.*

§. 274.

Laeſo ius eſt, auxilium aliorum contra laedentem, etiam bellicum, in ſui conſeruationem ſibi parandi; et cuilibet auxilium ferendi laeſo contra laedentem, etiam bellicum, obligatio ex lege diuina tamquam ad officium charitatis incumbit; ergo ad idem ius naturale competit §. 81.

E contrario quum omnis finis laedendi ſit iniuſtus; ad laedendum alios ſeu praeſtare auxilium ſeu acceptare illicitum eſt, multo magis bellicum auxilium ferre et adhibere erit nefas. Quamobrem

obrem *auxiliator hoſtis iniuſti* ipſemet *eſt hoſtis iniuſtus*, *nec auxiliator hoſtis*, *niſi pro hoſte iuſto, iuſtum bellum gerere poteſt.*

§. 275.

Qui exorto inter alios bello neutri hoſtium fert auxilium belli, eſt MEDIVS IN BELLO (neutralis neutrarum partium); eiusque ſtatus qua talis, NEVTRALITAS. Generatim vi libertatis naturalis cuilibet permittendum, vt ſit in bello medius, ſpeciatim vero hoſtis ne quidem iuſtus tertium ad auxilium ſibi ferendum tamquam ad amoris officium cogere nequit, multo minus poterit iniuſtus §. 274. Quamobrem *quilibet exardeſcente inter alios bello a natura habet ius neutralitatis* §. 81, *ex pacto* vero *ad auxilium ferendum obligabitur hoſti iuſto, non autem iniuſto.*

§. 276.

Defenſio vitae vel corporis dicitur INCVLPATA TVTELA; *quae*, ſi aliud medium non ſufficit, *vel cum internecione aggreſſoris eſt licita* §. 262; quatenus vero mitius medium ſufficit, ad *moderamen* pro datis circumſtantiis adhibendum de-

defenſor ſui obligatur §. 104. et 136. Pr. *Ius tutelae* ſupponit aggreſſorem et laedentem, ergo *a fauore neceſſitatis* longiſſime *diſtat* §. 143. Pr.

* Tametſi itaque detur Iure Naturali moderamen inculpatae tutelae, ad quod adſtringitur defenſor ſui; attamen longe reſtrictiores ſunt huius defenſionis limites ex praeſcriptis Doctrinae Moralis et Legem Ciuilium, quam quidem Iuris Naturalis Externi in ſtatu naturali: Hinc exempli cauſſa ad quaeſtionem: an *ad fugiendum obligetur, qui fuga euitare aggreſſionem poteſt?* et id genus alias, non eadem eſt Ethices, Iuris Ciuiles et Naturalis reſponſio.

1. Henr. Wilh. FINK diſſ. de legitima defenſione aduerſus iniuſtam vim, Lipſ. 1702.

2. Io. Eberh. ROESLER *de damni reſtitutione in vita et corpore dati*, Tubing. 1708.

3. Wilh. Gerh. VAN MEEK diſſ. de legitima ſui ipſius defenſione ſeu moderamine inculpatae tutelae, Lugd. Batau. 1730.

4. Coeleſtini Chriſtian. FLOTWELL diſſ. *moderaminis inculpatae tutelae in genere et inprimis Imperantibus competentis vindiciae*, Regiomont. 1757.

§. 277.

Si quis *iniuria verbali* vel *reali* §. 103. adficitur,

Digitized by Google

citur, et 1) *dubium* ſupereſt, vtrum doloſe an culpoſe fama violata; laeſo ius eſt exigendi a laedente, vt declaret, laeſum a ſe exiſtimari iuſtum virum, ſibique in iis, quae dixerit feceritue, animum iniuriandi non fuiſſe, quae declaratio vocatur HONORIS DECLARATIO: 2) ſi *conſtat de animo iniurandi*; vt ſufficienter ſignificet animum contrarium §. 271, hinc vt declaret, ſe poenitere dicti vel facti iniurioſi, quae declaratio dicitur DEPRECATIO: 3) ſpeciatim ſi iniuria verbali aut calumniis laceſſitus fuerit: vt alter declaret, ſe mentitum eſſe in iis, quae contumelioſe dixit, quae declaratur vocatur RECANTATIO (palinodia): *nec* 4) pro datis circumſtantiis, vi exiſtimationis aequalis §. 100, *illicitum eſt*, iniuriam iniuria rependere, quod dicitur *retorquere iniuriam*.

1. Gottl. SCHELWIGII diſſ. 2. *Quid liceat pro fama?* Gryphisw. 1706.

2. Io. Eberh. ROESLER diſſ. *de damno in fama et honore dato*, Tub. 1710.

3. Gottl. Libor. DATHE diſſ. *de famae vindicta Dauidis erga Nabalem ſecundum Ius Naturae*, Lipſ. 1723.

§. 278.

Digitized by Google

§. 278.

Si quis alienum, ſiue ſit res ſiue ius quodlibet, ſine iure poſſidet; proprietario competit ius, poſſeſſionem ſui ab ipſo exigendi, IVS VINDICANDI (euincendi) ſuum §. 120. *Licita* ergo *naturaliter eſt vindicatio et rei et iuris ſui.*

Ioh. Eberh. ROESLER *de reſtitutione damni in bonis fortunae dati*, Tubing. 1710.

§. 279.

LOCVPLETIOR factus eſt, qui plus habet, quam habebat. RE ALTERIVS LOCVPLETIOR fit, ſi, quod quis plus habet, eſt res (tam corporalis quam incorporalis) alterius; EX RE ALTERIVS, quando quod plus habet, eſt vtilitas ope rei alienae obtenta. Id, quo quis fit locupletior, eſt eius LVCRVM. Ergo 1) *nemo ex laeſione, conſequenter nec cum damno alterius locupletior fieri debet*; nec re, nec ex re alterius. 2) Quum omne lucrum, quod poſſeſſor alieni ex hac poſſeſſione habet, ex laeſione naſcatur, ideoque ſit damnum reſarciendum; *poſſeſſor domino rem ſuam vindicanti praeſtare tenetur*,

quan-

Digitized by Google

quantum locupletior fit ex re alterius eſt, ſeu *tenetur ad rem reſtituendam cum omni lucro*. 3) Quoniam qui lucrum habet cum damno alterius, plus habet quam habebat, imo poſito damno ponitur ſuum alicuius ſubtractum §. 53; perſpicitur, *cui damnum datum, minus habere quam habuiſſet, niſi laeſus fuiſſet.*

1. Chr Fr. SCHWARZ diſſ. *de obligatione poſſeſſoris bonae fidei ad rem domino reſtituendam*, Alt. 1730.

§. 280.

Lucrum dicitur CESSARE, ſi, quando id obtinere probabiliter poteramus, impedimur, quo minus obtineamus. Si in lucro ceſſante damnum concipitur, illud negatiue concipitur, et hinc dicitur DAMNVM PRIVATIVVM; quod opponitur DAMNO POSITIVO (emergenti), quo quis actu minus habet, quam habuit. Damnum emergens et lucrum ceſſans iunctim vocatur ID QVOD INTEREST (intereſſe; ſcilicet eius, cui damnum datum eſt). Quum *poſſeſſor malae fidei* laedat culpabiliter dominum, ex quo rem alienam mala fide poſſidere incipit §. 129.; *omnis*

actus

actus dominii, *quem interea exercuit*, *et omne damnum emergens ac lucrum ceſſans ipſi eſt imputabile* §. 118. Pr. et 16. Quare *poſſeſſor malae fidei tenetur domino* non ſolum 1) ad tantum, in quantum locupletior factus eſt re et ex re alterius, ideoque *ad rem reſtituendam cum omni lucro*; ſed etiam 2) *ad omne quod intereſt domini*, licet poſſeſſor talis inde locupletior factus non ſit, vel ſaltem non ſit amplius, ideoque ad reſarciendum omne damnum emergens, et omne lucrum ceſſans; *inde ab eo tempore*, quo *rem mala fide coepit poſſidere*.

* Ergo *poſſeſſor malae fidei* tenetur ad ſatisfaciendum domino, ſi *res culpa ſua deteriorata* vel *amiſſa* fuerit, aut perierit; teneturque ſimul de *fructibus rei* etiam *conſumtis*, immo de fructibus non perceptis, quos tamen percipere potuiſſet, id eſt *fructibus percipiendis*. Et ſi res adhuc exſtat, tenetur *ad rem reſtituendam cum omni cauſſa* ſeu vtilitate et commodo, hoc eſt ad rem reſtituendam cum fructibus exſtantibus, et ſimul ad ſatisfaciendum de fructibus conſumtis et percipiendis et reliquo lucro ceſſante.

§. 281.

§. 281.

Poſſeſſor bonae fidei e contrario, qui opinione dominii rem alienam poſſidet, quum vi iuſtae ignorantiae ſit dominus putatiuus; *omnes actus dominii*, quoad in bona fide verſatur, *iure ſuo exercet*, ideoque vero domino hactenus nec iniuriam facit, nec damnum dat imputabile §. 129. Quare *poſſeſſor bonae fidei domino, vindicanti rem ſuam, non vltra tenetur, niſi in quantum*, cognito vero domino, *adhuc eſt locupletior re et ex re*. Ergo ad ſatisfaciendum domino ex deterioratione aut deſtructione rei vel de reliquo, quod intereſt veri domini, non tenetur.

Atque eadem valere circa *vindicationem iuris* nullo negotio intelligitur.

* Hanc Iuris Naturalis differentiam circa bonae et malae fidei poſſeſſionem Ius Ciuile ita exprimit: *bonae fidei poſſeſſor tenetur* dumtaxat *ex re*; malae fidei poſſeſſor ſimul *ex facto* (culpabili).

** Bonae fidei poſſeſſor *in malam fidem conſtituitur*, ſimul atque ceſſat ignorare ſeu incipit cognoſcere, rem a ſe poſſeſſam eſſe alienam, et tamen domino eamdem vindicanti reddere detrectat §. 130. Ergo *poſſeſſor bonae*

Digitized by Google

nae fidei, quatenus recuſat reſtitutionem rei et lucri exſtantis, ex *tempore ſcientiae* ſeu ex quo ipſi de vero domino conſtat, *iure poſſeſſoris malae fidei iudicatur.*

§. 282.

Si *pactum* fraude ſuperſtructum vel metu aut vi iniuſta extortum ponitur: is *qui fraude circumuentus vel vi compulſus aliquid promiſit, ſtare promiſſis non tenetur*; et ſi ſteterit fraude inductus vel vi adactus, praeſtitum non adquirit acceptans §. 181, ergo *acceptans talis ad reſtitutionem, aut in ſubſidium ad ſatisfactionem alteri tenetur.* Si igitur res modo promiſſa fuerit tradita; acceptans fit malae fidei poſſeſſor §. 129.

§. 283.

Ex *pacto valido* promittens fit debitor, et acceptanti naſcitur ius quaeſitum in promittentem, vt praeſtet, det, faciat, quod promiſit. Si ergo *promiſſor* eiusmodi *debitum non ſoluit*; *quatenus eſt in reatu*, *tenetur creditori ſimul* ad id quod intereſt, debitum ſolutum non fuiſſe, hinc tenetur *ad intereſſe morae* §. 250.

§. 284.

§. 284.

In *pacto oneroſo* contra eum, qui pactum culpabiliter violat, laeſo competit ius exigendi, vt praeſtet, quod promiſerat, ſimulque id quod intereſt; vel ius itidem non praeſtandi, quod repromiſerat, conſequenter recedendi a pacto §. 72, 73. Itaque *hoc caſu optionis* (electionis) *ius laeſo negari nequit.* Siue enim compellere promittentem ad implendum contractum, ſiue ipſe recedere a conuentione malit, vi libertatis naturalis iure ſuo vtitur.

§. 285.

In pacto oneroſo, vbi datur vel fit, vt viciſſim detur; non daretur aut non fieret, niſi viciſſim daretur §. 198, conſequenter niſi, qui viciſſim dat, iudicaretur habere ius dandi. Hac paciſcentium intentione tamquam conditione tacita determinatur ius atque obligatio ex contractu mutua §. 194. *Si quis* igitur *ſuo nomine rem alienam pacto oneroſo in me transfert, qui inſcius, rem pertinere ad tertium, eam bona fide iudico eſſe alienantis; et dominus poſtea rem ſuam vindicat:* conditio ceſſat, ſub qua meum pacto alienaui.

Ergo

Ergo hoc caſu *tenetur transferens ad mihi reſti-tuendum*, *quod viciſſim dedi*, *aut in ſubſidium ad ſatisfaciendum*, *hinc* ad aequivalens eius, quod vindicatum eſt, praeſtandum, id eſt *ad euictionem praeſtandam*. PRAESTAT ſcilicet EVICTIONEM, qui reſarcit damnum ex re euicta (ex re vel iure vindicato) alteri ortum.

1. Ern. Rud. BRENNEYSEN diſſ. *de praeſtatione euictionis in ceſſione nominis ſecundum Ius Naturae et Romanum*, Halae 1696.

2. *Contrariam ſententiam fouet* D. Chriſtian. Henr. BREVNING diſſ. *de praeſtatione euictionis Iure Nat. incognita*, Lipſ. 1753.

TITVLVS II.

DE

MODIS LITES FINIENDI.

§. 286.

LIS (controuerſia) in *ſenſu iuridico* eſt actu quo plures ſibi inuicem de eo, quod ſuum alterutrius

utrius eſt, contradicunt, ſeu eſt reciproca de iure eodem ſibi competente contradictio; atque ii, inter quos lis eſt, LITIGARE dicuntur; et OBIECTVM, de quo litigatur, appellatur LITIGIOSVM. Si itaque Titius affirmat, ſibi ius quoddam reſpectu Sempronii competere, atque ideo Sempronio incumbere obligationem quamdam; idem vero negat Sempronius: Titius et Sempronius litigant. PRAETENDIT (ſtricte) IVS, qui illud contra eius poſſeſſorem ſibi competere affirmat; praetenſio igitur iuris, quae et *praetenſio ſimpliciter* dicitur, *litem inuoluit*, et ius praetenſum, quod et ipſum ſubinde praetenſionis nomine venit, eſt ius controuerſum. ACTVS IN PRAEIVDICIVM alterius eſt, quo ius alterius violatur; PROTESTATVR (contra actum alterius), qui actui alterius tamquam in praeiudicium ſuum ſuſcepto contradicit; *inter eum* igitur, *qui actum aliquem tamquam iuſtum agit*, atque *alterum contra eumdem proteſtantem lis eſt.*

§. 287.

Si LITIGATVR de IVRE CERTO, de quo certo conſtat, quod illud alterutri litigantium com-

competat: qui negat ius certum alterius, et hinc illud ipſi non tribuit; eius *laeſio* eſt *certa*, atque inde ceteris paribus alteri naſcitur *ius violentiae et belli certum*. Quamobrem in lite de iure certo litiganti, cuius ius in litem adducitur, contra alterum litigantem competunt iura, quae laeſo contra laedentem tribuit lex naturalis, conſequenter ille qua *laeſus violentiam iuſte exercet in litigantem alterum, donec laedere deſiſtat*; ideoque etiam donec agnoſcat et confiteatur, obiectum litigioſum pertinere ad alterum, ſibique in illud nihil competere iuris.

§. 288.

Si e contrario lis eſt de IVRE DVBIO, de quo nondum certo conſtat, cui litigantium illud competat: qui negat *ius dubium* alterius, atque hinc non tribuit alteri, quod ſibi tribui debere alter adfirmat; eius *laeſio* eatenus eſt *incerta*, et conſequenter *ius violentiae* alterius et *belli* pari modo *incertum*.

* Sicuti ius, ita et *obligatio* vel *certa* vel *dubia* eſſe poteſt, immo *obligatio iuri alte-*

Digitized by Google

rius reſpondens, quatenus hoc poſito ipſa ponitur, neceſſario eſt *certa*, *ſi iuri certo* reſpondet; *dubia*, *ſi dubio iuri*. *Debitum liquidum* eſt ſpecies certae obligationis; *illiquidum* incertae §. 249.

§. 289.

Quatenus de obiecto litigioſo dubium eſt, ad quem litigantium pertineat; eatenus neutri plus iuris quam alteri competit, vtrique idem dubium pariter obſtat et aeque fauet, conſequenter vterque eodem et aequali iure reſpectu obiecti litigioſi gaudent. Quodſi igitur *ius tale dubium reddi certum*, hoc eſt *probari* §. 97. cuiusnam litigantium ſit, poteſt: qui, vel non ſuſcepta probatione vel non relicto alteri tanto temporis, quantum ad probandum ſufficit, primus ad vim prouolat; violat aequalitatem iuris alterius §. 73. Vnde conficitur, *in lite de iure dubio teneri litigantes ſibi reciproce ad tentandam ante probationem, quam ad violentiam progredi poſſint.*

§. 290.

Cuinam litigantium incumbat onus ſeu obligatio *probandi?* ſi inquiritur, hoc praeprimis obſeruandum

ſeruandum, quod naturaliter nemo teneatur probare ius ſuum connatum: quippe quod cuilibet tribuendum eſt ſimul atque exiſtit §. 64. Ergo *ſi lis eſt* de iure alterutrius litigantium connato: *is qui ſe fundat in iure connato*, ex gr. *in aequalitate* §. 81., *in libertate naturali* §. 71. in *exiſtimatione iuſti viri* §. 98. in *iuſta ignorantia* §. 127. cet. *probare non tenetur*. Quamobrem ſi nihilo minus dubium ita mouetur, vt probatione opus ſit: is, *qui negat*, *alteri ius* quoddam ceteroquin *connatum competere*; *probare tenetur*. *Pro iure connato militat praeſumtio*, donec *probetur contrarium*.

1. I. I. S. (SCHIERSCHMIDT) *allgemeine Regel, wer von ſtreitenden Partheyen bey einem Rechtshandel den Beweis zu übernehmen*, 2da edit. Erlang. 1754. 4.

2. Io. Wolfg. TRIER diſſ. de onere probandi negantibus incumbente, Francof. ad Viadr. 1738.

3. Henr. Herm. MEYER diſſ. *de propoſitione negatiua eiusque probatione*, Gotting. 1756.

Digitized by Google

§. 291.

Si *lis eſt de iure adquiſito*, an alterutri litigantium illud competat, et in ſpecie quoque de tali iure adquiſito, cui reſpondet *obligatio alterius contracta*; controuerſia et dubium, quae mouentur, numquam non concernunt *factum* aliquod, quippe ſine quo ius adquiri et obligatio contrahi nequit §. 109.

§. 292.

Circa factum vero quod moueri poteſt dubium, vel eſt 1), an *factum* ſit *verum* ſeu an exiſtat, vel 2), ſi de veritate facti conſtet, an ſit *iuſtum*. Probatio exiſtentiae vel non-exiſtentiae facti eſt PROBATIO FACTI, probatio iuſtitiae vel iniuſtitiae facti pertinet ad *probationem* (deductionem) *iuris*.

§. 293.

Si *exiſtentia facta* eſt dubia: qui lite exorta negat aliquid factum eſſe; negat vel factum proprium, quo obligationem contraxit, vel factum alterius, quo ius adquiſiuit.

Qui

Qui *negat factum proprium*, quo obligationem contraxit; ſe fundat in libertate naturali, iure connato §. 71., ergo *probare non tenetur*. §. 290. Qui *negat factum alterius*, quo ius adquiſiuerit; fundat ſe in iuſta ignorantia, iure itidem connato §. 127, ergo *probare non tenetur*. Quamobrem ſi *factum probandum eſt*; *adfirmanti facti* dubii (ſeu proprii ſeu alieni) *exiſtentiam incumbit probatio*.

§. 294.

Si e contrario de facto conſtat, de *iuſtitia* vero *facti* dubium mouetur: affirmatur vel iuſtitia facti proprii, vel iniuſtitia facti alterius.

Qui affirmat, *ſe*, quod fecit, *iuſte feciſſe*; ſe fundat in exiſtimatione iuſti viri, iure connato §. 98, ergo *probare non tenetur*. *Qui affirmat, alterum iniuſte feciſſe*, quod fecit; *negat* eo ipſo, alteri competere ius bonae exiſtimationis, *ius connatum*, conſequenter negat id, cuius contrarium alter probare non tenetur. Quamobrem *ſi* de *iuſtitia facti litigatur ita, vt probatione opus ſit*; *neganti iuſtitiam facti alterius*, ſeu quod idem

Digitized by Google

eſt, *affirmanti iniuſtitiam facti alterius* ſeu litigantis ſeu cuiuslibet tertii) incumbit probatio.

* Ergo etiam *poſſeſſor* rei vel iuris non tenetur probare *ius poſſidendi* rem vel ius. *Quilibet poſſeſſor praeſumitur habere ius poſſidendi.* Quare poſſeſſio, quae tamquam vitioſa ab altero probari nequit, aequipollet iuſtae adquiſitioni, et loco eſt tituli optimi.

§. 295.

Iniuſtitia facti ex lege Iuris Naturalis probanda, exiſtentia facti a poſteriori vel a priori probari poteſt. Ad probationem a poſteriori pertinet probatio per 1) *inſpectionem ocularem* aliamue *experientiam*; per 2) TESTES, qui ſunt perſonae, quae ad fidem faciendam de facto aliquo adhibentur, per 3) INSTRVMENTVM ſeu ſcripturam, in qua factum narratur; per 4) *iuramentum* cet.

§. 296.

Probato eo, quod in cauſa dubia probandum erat, quum ius dubium fiat certum, ſcilicet vt nunc certo conſtet, cuinam litigantium competat

ius

Digitized by Google

ius, quod hactenus in controuerſiam adducebatur; *litigans, cuius non eſſe ius probatum eſt, adquieſcere, diſcedere a lite et agnoſcere ius alterius obligatur, eamdemque litem renouare nequit;* alias in ipſum parti aduerſae nunc competit ius certum laeſi in laedentem §. 287.

Et quoniam LIS dicitur DECIDI, ſi applicato iure ad factum rite deducatur, a cuius parte ſtet veritas, ſeu cuinam litigantium competat ius controuerſum; *probato eo, quod in cauſa dubia probandum erat, lis deciditur*, et lite deciſa litigantis, qui cauſa cecidit, ſi qua fuit, *praetenſio extinguitur*, renouari neſcia.

§. 297.

De cetero quatenus ius controuerſum perſtat dubium, tentata ſcilicet inutiliter probatione; neuter quidem litigantium habet ius certum ſtandi iudicio ſuo, ſed neutri etiam incumbit obligatio ſtandi iudicio alterius litigantis vel aliorum; ideoque *in cauſſa dubia* 1) *neutri ius laeſi* et *ius belli per ſe competit*, vt extorquere alteri poſſit, quod praetendit; et 2) *neutri ius ſuum* (etiamſi

dubium ſit) *inuito auferri poteſt.* Quamobrem *lis de iure dubio, decidi neſcia,* vi libertatis naturalis *non niſi mutuo litigantium conſenſu* ideoque *pacto terminari poteſt.*

Quum itaque LIS dicatur COMPONI, ſi veritate in dubio relicta, conſenſu litigantium terminetur; in cauſſa dubia (qua tali) *lis, decidi neſcia, componenda eſt*: obligantur ſcilicet ſibi mutuo litigantes ad tentandam ante litis compoſitionem, quam vi armorum de cauſſa dubia decertare conſtituant. Quomodo litigantes in lite tali dirimenda conueniunt, et *quomodo litem componunt, eodem modo lis finitur*, et *facta compoſitione vtraque pars adquieſcere* et *de lite diſcedere obligatur, neutraque litem renouare poteſt.*

§. 298.

Litis compoſitio gratuita vocatur ſpeciatim COMPOSITIO AMICABILIS, oneroſa TRANSACTIO. Transactio igitur fit promiſſo vtrinque aliquo §. 198, hinc etiam, dato vel retento aliquo vtrinque, fieri poteſt. *Compoſitione* itaque *amicabili* vel *transactione facta lis finitur.*

§. 299.

Digitized by Google

§. 299.

Pactum, quo conuenitur, vt effato ſeu ſententiae certae perſonae ſtetur, vocatur COMPROMISSVM; is, quem litigantes per compromiſſum eligunt, vt ipſorum litem, quantum fieri poſſit, decidat, ARBITER; ius litem decidendi in arbitrum collatum, ARBITRIVM; illud vero pactum litigantium cum arbitrio, quo arbitrium in ipſum conferunt, RECEPTVM (quia hoc pacto recipit arbitrium); et ſententia arbitri, qua determinat, quomodo lis finienda, LAVDVM appellatur. Quoniam vi libertatis naturalis nemo arbitrium ſibi arrogare inuitis litigantibus, ſed nemini etiam arbitrium obtrudi poteſt; *arbitrium conſenſu litigantium cum arbitro conſtituitur*, hinc vt conſtituatur, *compromiſſo* et *recepto* opus eſt. Ceterum *laudo* ſtare, et *in eo adquieſcere litigantes obligantur* vi pacti; ergo pronunciato *laudo lis finitur*, et laudum vel continet deciſionem §. 296, vel certe *in cauſſa dubia ipſi aequipollet*.

Si plures arbitri ſimul conſtituuntur; iis addi poteſt SVPERARBITER, cui competit arbitrium

ſub

Digitized by Google

ſub ea conditione, ſi reliqui arbitri in laudo diſſenſerint.

1. Iac. Frid. LVDOVICI diſſ. *de effectu et obligatione laudi*, Hal. 1711.

2. Georg. Ludouici BOEHMERI diſſ. *de ſuperarbitris* vulgo *von Obmannen*, Gotting 1744.

3. Io. Cho. TREITLINGERI diſſ. *de ſuperarbitro*, Argentor. 1758.

§. 300.

Porro in cauſſa dubia etiam *ſorte* terminori controuerſia poteſt, ſi ita inter litigantes conuenitur §. 297. SORTIS autem nomine venit id, a cuius determinatione fortuita ſuſpenditur adquiſitio iuris, ſeu eſt ſignum eius, quod nobis adquiſitum eſſe debet, fortuito determinatum. *Si* igitur *litigantes conſentiunt in litem ſorte dirimendam*; *is*, *quem ſors indicat*, *ius controuerſum adquirit*, *et alter illud amittit.*

1. Wilh. Chi. CHRYSANDRI orat. de *ſortibus*, Halae 1740. 4.

2. Frid. Aug. IVNII diſſ. *de ſorte remedio ſubſidiario cauſſas dubias dirimendi*, Lipſ. 1746.

Digitized by Google

§. 301.

Quod reliquum eſt, ad litem terminandam *mediate* faciunt litigantium *congreſſus*, *colloquia*, *tractatus* §. 174. coram vel ſcripto, immediate vel per mandatarios acti, aliorumque generatim interuentio, quo ſpeciatim et mediatores pertinent.

Eſt vero MEDIATOR, qui ad litem aliorum componendam operam et conſilia ſua confert, et actus mediatoris qua talis, eſt MEDIATIO. 1) IVS MEDIATIONIS (quod et ipſum ſubinde *mediationis* nomine venit) proficiſcitur ex *conſenſu litigantium* et *mediatoris:* quippe vi libertatis naturalis nemo obtrudere mediationem ſuam litigantibus, nemoque ad ſuſcipiendam mediationem cogi poteſt. 2) *Mediator* ex intentione litigantium cauſſam vtriusque partis agit, ideoque non vni parti magis fauere debet quam alteri, hoc eſt non *partium ſtudioſus*, ſed potius a ſtudio partium vacuus, *impartialis* (neutrarum partium) eſſe debet. 3) Iis autem, quae ipſi viſa fuerint, ſtare, ergo *in ſententia mediatoris, quomodo lis finienda*, *adquieſcere litigantes non tenentur.* Hinc mediatoris ſaltem eſt, proponere

mo-

Digitized by Google

modum terminandae controuerſiae, offerre vtrinque conditiones, ſub quibus componi lis poſſe ſibi videtur, explorare litigantium de iis iudicia, ſuadere vt aeque conditiones, a ſe vel a parte aduerſa oblatae, acceptentur, de conditionibus vtrinque oblatis, iudicium ſuum interponere, diſſuadere ne iniquae offerantur, immo oblatas reiicere. 4) Quoniam vero litigantibus recuſare et acceptare mediatoris propoſitiones integrum eſt, et iis demum acceptatis lis tollitur; *mediatoris conſtitutio non eſt modus finiendi litem, ſed tantum finem eius accelerandi.* Mediator, quatenus eligitur, vt tantum ſententia ſua qua conſilio iuuet litigantes in componenda lite, ARBITRATOR dicitur.

§. 302.

Amicabilis compoſitio, transactio, laudum, ſors ſunt *modi* litium finiendarum *placidi*, nempe quibus controuerſiae terminari poſſunt ſine adhibita violentia, quique litigantium conſenſu perficiuntur, ad quem obtinendum colloquia, tractatus, mediatores, arbitratores viam ſternunt. Quodſi itaque in cauſſa dubia litigans, cui periculum

Digitized by Google

culum eſt, ne ius ſuum controuerſum ſibi adimatur, offert modum terminandae litis placidum, et quae huc faciunt, vel offert aequas finiendae controuerſiae conditiones; pars vero aduerſa in oblata conſentire non vult: *offerenti ius competit, aduerſam partem vi ad transactionem adigendi*, hinc *ius belli transactionis cauſſa gerendi*, vi iuris, ne ſibi ius ſuum dubium auferatur §. 297, et vi iuris in ſui ſecuritatem §. 270.

§. 303.

Denique ſi ſumatur bellum, cuius iuſtitia vtrinque eſt incerta; vtrinque *iure aeque dubio*, atque ita iure *aequali vis infertur et reprimitur, alienum inuaditur* et *ſuum defenditur*; res, iura, bona eripiuntur et recuperantur; hinc et occupationes bellicae vtriusque partis erunt dubii iuris.

§. 304.

Quoad igitur durat bellum ambigui iuris, perdurat etiam cauſſa dubia; neque ergo HOSTIS DEVICTVS, hoc eſt a pugna deſiſtere coactus, ea propter ius ſuum amittit. Ergo *victoria non finis*

finit litem, niſi in hunc euentum, qua modum tollendae controuerſiae, conſenſerint litigantes. Quamobrem ii demum modi, quibus ipſum bellum finitur, etiam ſunt finiendae litis modi. Huc pertinere poteſt *mors* alterius litigantis §. 242, praecipue vero pertinet pactum, quo bellum finitur, id eſt PACTVM PACIS §. 264. Pactum bello iuſto, cui et aequipollet bellum ſuper cauſſa dubia, hoſti exortum, nequit dici iniuſtum; eatenus *datur pactum vi* (iuſta nimirum) *extortum*, quod eſt *validum*, et *quo* propterea etiam *lis de iure dubio* terminatur.